BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 K
4 11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

12
13
a
10

7/ 7/
6 6
26 33

IN HIPPOCRATIS ET GALENI PHYSIOLOGIÆ PARTEM anatomicam Iſagoge, à Iacobo Syluio rei medicæ apud Parrhiſios interprete Regio conſcripta, & in libros tres diſtributa.

Denuò per Alexandrum Arnaudum diligentiſſimè caſtigata.

Editio præcedentibus caſtigatior.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



PARISIIS.

Apud Ægidium Gorbinum, ſub inſigne Spei, prope Collegium Cameracenſe.

M. D. LXXXVII.

HENRICO II.
GALLIARVM REGI AVGVSTISSIMO REgnare feliciter, Iacobus Syluius medicus.

REgum gloria ſumma Gallicorũ
Henrice, omnib. abſolute pũctis,
Et virtutibus omnibus beate:
Gallos religione Chriſtiana,
Gallos iuſtitia ſeueriore,
Gallos pace beas diu cupita:
Muſarum domus omnium ſacrata,
Hîc per magnificum patrem patrone
Diuinos tibi iam refert honores.
In te eſt numinis indoles auiti,
Per cunctas venerata nationes.
Quod iam Gallia cantat vniuerſa,
Quod iam finitimi pauent Tyranni,
Quod iam Carolus Imperator horret,
Regnis Italiæque Thentonúmque

Inuiſam omnibus ob tyrannidem, abs te
Pulſus, maxime Io Deus triumphe,
Succeſſus reliquos tibi ſecundet,
Póſtque heroica geſta glorioſum
In ciclos reditum remunerarit
Terrarum dominus Deúſque rerum.

LECTORI
CANDIDO.

VERISSIMVM eſſe, quod vulgo dici ſolet, hominem quidem ſibi multa proponere, Deum verò de rebus ipſis, pro arbitrio ſemper ſtatuere: cùm in multis, tum nouiſſimè in Iacobo Syluio optimo atque doctiſſimo medico, re ipſa experti ſumus. Nam cùm is omnium artium peritiſſimus, & preſertim in re medica exercitatiſſimus, tibi, candide lector, diligenti ſtudio, longa exercitatione, plurimóque labore anatomicas inſtitutiones paraſſet, hácque hyemem delegiſſet, tempus ad corporum diſſectionem maximè opportunum: vt quod literarum monumentis iam tra-

diderat, re ipſa quoque auditores ſuos doceret, atque ita ipſis quarundam partium ſcrupulum eximeret, quæ in variis corporibus luxuriante & ludẽte interdũ natura variè obſeruari ſolent; hoc tantum bonum medicinæ ſtudioſis velut inuidens mors, hominem, proh dolor, antequam id, quòd animo iam deſtinatum habebat, effectum daret, ſuſtulit. Qui etſi ſibi & naturæ vixiſſe ſatis videatur, nobis tamen & patriæ parum verè poſſumus affirmare. Nam qui nullum finem laboribus impoſuerit, aut ſe reſpexerit vnquam dum ad rem literariam aliquid conferret, & ſuo nitori medicinam reſtitueret, Hippocratem & Galenum à calumniis vindicaret, qui potuit ſatis, & patriæ & rei literariæ vixiſſe? In quo cum iam decrepita ſenectute tantis ſe angeret & cõficeret laboribus, parum vitæ & ſaluti conſulebat. Sed tanquã huic

Vni rei natus, ſemper legendo euadens doctior, multa literis committebat, quæ ſi limata & perfecta eſſent, medicina, quæ eo cœpit à barbarie vindicari, eodem auctore ſuum ſplendorem obtineret. Primus enim Hippocratis & Galeni libros Lutetiæ ſyncere interpretatus eſt: primus certam methodum docendi & diſcendi medicinam tradidit. Etſi ante illum floruere præſtãtibus ingeniis præditi multi, & bonis artibus exculti, qui medicinam & facerẽt & noſſent: ij tamen aut priuatis ſtudiis delectati, domi latitarũt, neque ad docendum publicè prodierunt, aut domeſticis negotiis occupati ſuisq; rebus & familiæ inſeruientes, maluerunt eam augere quàm publicæ vtilitati conſulere. Syluius verò communem ſalutem ſuæ anteferens, atque vni ſtudioſorum commodo proſpiciẽs, vitam egit in ocio literario, longè ab omnibus negotiis

abhorrētem. Vt mihi videatur eorū vitā effinxiſſe, quos ſummus ille & ingenii & linguę parens Plato (quòd honores & ea quæ plerique vehementer expetunt, & de quibus inter ſe digladiari ſolent contemnant & pro nihilo ducant) iuſtos eſſe, monumentis conſecratum reliquit. Eò tamē laus illi clarior & illuſtrior, quòd eam vitæ ſocietatem quam tueri debebat, deſertam non eſt paſſus: in quam operæ, ſtudii, fructus quantum vires ferre valuerunt (valuerunt autem plurimùm) cōtulit. Verūtamen, vt nihil eſt in rebus humanis firmum ac ſtabile, & quæ certiſſima putātur ſæpe aut caſu, aut morte præuertuntur, non potuit ipſe anatomicas inſtitutiones exquiſito iudicio inchoatas, ordine admirabili digeſtas tam accuratè perfectas tibi exhibere, quin imperfecta quædam, vt caput de tendonibus, cui nondum ſummam

manum addiderat, & alia pauca obſcuriora, quæ diſſecandis cadaueribus hac hyeme exploratiſſima & clariſſima reddere ſtatuerat, reliquerit. Quæ licet doctorũ hominum operam iudiciũque requirere viderentur, ne tamen nimis ingenioſi in alio opere fuiſſe videri poſſemus, non fuit conſilium quicquã immutandi. Quorum etiã cùm maxima cupiditate teneri te videremus, maluimus, vti habebant exhibere, quàm fructum laboris tanti viri diutiùs priuare: præſertim eius partis medicinæ, in qua quãtũ elaborauerit, cuique quãtum lucis addiderit, plurimi non ſolum Galliæ, ſed etiam Europæ totius teſtes locupletiſſimi & oculatiſſimi eſſe potuerunt. In *quo ſi quid parum aptè poſitũ, ſi quid non ſuo ordine collocatum reperias, expoſtules ipſe cum ſuperis qui vitam homini diuturniorem non propagarint, quoad hanc medicinæ par-*

tem, quam tam varie & abſurdè multi ſtudio maledicendi aliquando tractarũt, excoluiſſet. Has igitur tibi candide lector, anatomicas inſtitutiones ſpectandas proponimus, dum commẽtarios in libros de vſu partium, ad quos lectorem ſæpe remittit, tibi paramus. In quibus quæ hic conciſè & breuiter tractata ſunt, eadem illic fuſius & latius explicat: alios præterea commentarios in libros Galeni de differentiis febrium, de facultatibus medicamentorum tibi exhibebimus, ſi intellexerimus noſtram qualemcunque diligentiam non ingratam eſſe.

IACOBI SYLVII
Iſagoge in tres libros diſtributa eſt: Quorum,

PRIMVS liber, de partibus noſtris ſimilaribus agit,&in nouem capita diſtribuitur.
Primo enim de Oſſibus agit.
Secundo,de Cartilaginibus.
Tertio, de Ligamentis.
Quarto,de Membranis.
Quinto,de villis.
Sexto,de Carnibus.
Septimo,de Glandulis.
Octauo,de Pinguedine.
Nono & vltimo,de Medulla.

SECVNDVS, nouem quoque capitibus complectitur totam venarũ, arteriarum,neruorum,& muſculorum hiſtoriam.

Primo igitur agit de Venis & arteriis in genere.

Secundo, de Vena porta.

Tertio, de Vena caua.

Quarto, de Vaſis vmbilicis.

Quinto, de Arteriis.

Sexto, de Neruis.

Septimo, de Muſculis.

Octauo, de Tendonibus.

Nono & vltimo, Anacephaleoſi quadam omnes muſculos colligit.

TERTIVS liber in viginti tria capita partitus, reliquas corporis noſtri partes perſequitur.

Primo enim cap. breuiter Peritonæi naturam explicat.

Secundo, Epiploon percurrit.

Tertio, Oeſophagum & ventriculum.

Quarto, Inteſtina.

Quinto, Meſenterium.

Sexto, Hepar.

Septimo, folliculum fellis.

Octauo, Splenem.

Nono, Renes.

Decimo, Vreteres & Veſicam.

Vndecimo, Teſtes & vaſa ſpermati-
ca.
Duodecimo, Penem.
Decimo tertio, Vterum.
Decimo quarto, Tunicas ſubcoſta-
les.
Decimo quinto, Aſperam arteriam.
Decimo ſexto, Pulmones.
Decimo ſeptimo, Pericardium.
Decimo octauo, Cor.
Decimo nono, Meningas.
Vigeſimo, Cerebrum, & Cerebel-
lum.
Vigeſimo primo, Partes quaſdam to-
tius cerebri, vt glandulas, nates, ple-
xum retiformem, vermiformē epi-
phyſin, & cætera.
Vigeſimo ſecundo, Rhachitida ſeu ſpi-
nalem medullam.
Vigeſimo tertio, Adminiſtrationē ana-
tomicam breui oratione, ſed dilucida
explicat.

Addita eſt ad finem Iſagoges variorū animalium ſectio, vt ouis, vaccæ, ſuis, canis &c. hoc tantùm nomine, vt quilibet, nullo alio ſecandi magiſtro, ſed

ſuopte marte & ingenio: eadem, vel ſimili ſectionis methodo, multa quæ hodie quoque in homine obſcura ſunt, perquirere facilè ac perueſtigare poſſit. His interim fruere lector Chriſtiane, dum tibi multa alia, ſane præclara, quæ ad ſinceram medicinã viam ſternere poſſint, parantur: & bene precare D. Syluij manibus.

AD CANDIDUM Lectorem Iacobus Syluius Medicus.

COmmentarios rei anatomicę ex diligēti corporum aliquot humanorum, publicè priuatimque à nobis diſſectorum obſeruatione cōprehenſos, iam ſub doctorum virorum oculos & iudicium emittimus: rem profectò medicinæ ſtudioſis omnibus non vtilē ſolùm, ſed & neceſſariam, ſi iuſtam Galeni reprehenſionem metuunt, in medicos ætatis ſuæ frequenter inclamantis, quòd viſcerum obſeruatione contenti eſſent, neque illa multùm accurata; artuum verò & partium cæterarum naturam omnino auerſarentur, quarum ignoratione plurimùm quotidie ab illis peccaretur, tumores, vulnera, vlcera, fracturas & affectus alios partium externarum malè cognoſcen- *Lib. Adminiſt. anat.*

tibus, peius curantibus, peſsimè quò euaſuri eſſent prænoſcentibus ac præſagientibus. Quo autem ordine partes ſint ſecādæ, & quæ ad anatomicam adminiſtrationem pertinent reliqua, te Galenus abundè docuerit: & in fine huius Iſagoges quantum ſatis eſſe poſſit, audies: mihi in præſens ſuffecerit cauſam afferre, cur in noſtris corporibus hodie pauca quædam aliter appareant quàm Hippocratis, aut Galeni, aut aliorum veterum ſæculo. Corporis primùm noſtri magnitudinem diminutam multùm eſſe, ex veterum ſcriptis & ſuperſtitibus adhuc ſarcophagis ac ſceletis comprobarem, niſi otioſa hęc teſtimonia vobis putarem, qui etiā hodie hanc plurimùm imminui cernitis: præſertim quibus regionibus matrimonia nimiùm libera, & ante iuſtā ætatem permittuntur. Vitam quoque veteribus quàm noſtris hominibus lōgiorē fuiſſe literæ tum ſacræ, tum prophanæ teſtimoniis quamplurimis apertè conuincunt. Partium verò internarum quarundam magnitudinem, numerum, figuram, ſitum, mutata multis eſſe regionibus, nec eadem omnibus

Homerus Iliados 5. de Diomede. Virgilius 12. de Turno. Plinius li. 7. c. 16.

noſtris

noſtris corporibus ſupereſſe quæ veteribus ſunt obſeruata, illorum ſcripta, noſtráque corpora abundè teſtantur: vt ſit credibile regionum ſingularum hominibus, vti & aliis animalibus, atque adeò plantis ipſis, vel peculiare aliquid ab aliis ineſſe, vel quandam ex priore natura mutationem accidiſſe. In Syria nanque oues cauda cubiti mẽſura lata ſunt, & capræ auriculis menſura palmari aut dodrantali, & quædam demiſſis ac terram ſpectantibus. *Ari.li. 8. hiſt.ca.28. & alibi paſſim.* In Cilicia capræ tondentur vt alibi oues. Oues Pyrrichæ in Epiro maximæ, in Aphrica arietes tam mares quã fœminæ ſtatim corningeri generantur. In ponto prouincia Scythica contrà, nullis arietibus cornua enaſcuntur. In Syria boues nodos ſcapularũ flectunt vt cameli. *Hip. lib. de aquis.* In Phrygia boues cornua habent mobilia. Boues Scytharũ Nomadum cornua ob frigus non habent. In Ægypto boues, oues, cerui & alia quædam, maiora quàm in Græcia: *Ariſt. hæc omnia in li. animal.* contrà, canes, lupi, vulpes, lepores, cerui, accipitres in Ægypto ſunt minores quàm in Græcia ob alimentorum cuique idoneorum copiam vel

inopiam. Illyrium & Epirus quadrupedes omnes habet magnos, ſed aſinos paruos, quos Scythia & Gallica terra nullos habet ob frigus immodicum. Illyrium ſues gerit ſolidipedes. India ſue & apro caret. Leporum cuidam generi apud Bolbam lacum bina inſunt iecora: leporem Ithaca inſula non habet, vt nec Lebadicus ager talpam, nec Sardinia lupum. Sícque variæ regiones rebus variis quędam abũdant, aliæ carent. In Elapho monte Aſiæ apud Arginuſſam ceruæ omnes aure ſunt ſciſſa. Camelus Bracriana differt ab Arabica tubere, quòd altera vnicum habet, altera geminum. Beſtiæ in Aſia omnes ferè ſunt efferatiores, in Europa fortiores, in Aphrica multiformiores. Fel grande quadrupedibus in Naxo. Fel nullum pecori in parte quadam agri Chalcidici. Eubœæ ſplẽde eſt pecoribus: in Creta Aſplenium depaſtis, qua parte Potereus amnis
Vitruuius lib.1.ca.4. Cortinam vrbem ſpectat: adeſt aliis
oppoſita eius amoris parte Gnoſon vr-
Plin.li.25. cap.5. bem ſpectante, vbi deeſt Aſplenium.
Ictus ſcorpionis in Pharo innocens, in Sicilia homini & beſtiis eſt pernicioſiſ-

ſimus. Italię locis quibuſdam ſtellionis morſus exitialis. Lupi cum canibus coeunt agro Cyrenenſi. Canes Laconici ex vulpe & cane gignuntur: Indici ex cane & tygride. Volatilia quoque & aquatilia, vti quadrupedia atque adeò plantas regiones quædã, hæ illa habent & ſæpe varia partibus & moribus aliæ non habent. Quorũ exempla quia ſunt aut familiaria aut inuentu facilia, ſciẽs omitto. Hæc aliáque numeroſa in partibus animaliũ & moribus per regiones varietas à maioribus noſtris obſeruata & deſcripta, facit vt in hominibus quoque diſſimilitudinem nõ paruam pro vario regionũ ſitu eſſe facilè perſuadeamur: tamen argumentis id eſſe veriſſimum cõprobabimus ex maiorũ quoq; teſtimonio acceptis. Quibꝰ ſi fidẽ abrogamus, omnia propè maiorũ ſcripta pro fabulis ducamus oportet: neque hiſtoriæ vlli credamus factũ fuiſſe aliquid aut dictũ. Anatomicas quoque obſeruationes omnes à maioribus ſcriptas proſcindamus, & quæ à nobis ſcribentur poſteritas aliqua forſan varietate perculſa, obliterabit. Iam igitur hominibus quoque partium quarum-

dam, & morum varietatem per cæli regionúmque ſitum varium ac victum doceamus. *Hiſt. animalium. 7.4.* Infans ſine vnguibus naſcitur ſi mater multo ſale vtitur. Æthiopes & Ægyptij, cruribus ſunt ob ſiccitatem blæſis. *Sect.4. probl.* Qui meridiem verſus habitant, oculis potius nigris naſcuntur. *Ibidem.* Æthiopum & ſimiliter nigrorum, dentes candent, cutis, & vngues nigricant. *Lib.3. hiſ. cap. 9.* Æthiopum & aliorum loca æſtuoſa colentium crania ſolida ſunt ſeu ſuturis carent. *Celſus.* Æthiopes, & Ægyptij, & Aphrorum pars plurima, naſo ſunt camuro, ima parte craſſo, lato, naribus patulis, labris enormibus, cruribus exilibus, aluo compreſſa, tota patriam teſtante figura: vt Virgilius in Moreto ſcribit. *Hip. lib. de regionibus.* Qui Alpes Stiriam ſpectantes accolunt, capitibus ſunt magna figuræ varietate deformibus. In Aſia macrocephali fuerunt populi, capita habentes prælonga, primùm à conſuetudine (nam recens natis cranium molle ac tenerum, manibus & vinculis aptíſque inſtrumentis in longum producebant) deinde à natura per conſuetudinem illam euicta, ſed quæ tandem victrix, minus longa

reddiderit capita. Phaſiani à reliquis hominibus multùm ſunt diuerſi: magnitudine enim ſunt ingenti & corpulentia inſigni, adeò vt nec venæ illorum, nec articuli appareant, colore ſemper flaui, ſimiles ictericis, voce grauiſſima. Barbatæ mulieres in Caria ſunt, mulieres aliquot priùs fœcundæ, poſt viduę ſuppreſsiſque diu ob id mēſibus, virili corpore, nempe penitus hirſutæ & barbatæ & voce aſpera euaſerunt. Fœminas in mares mutari non eſt fabuloſum: Syluestres homines auerſis poſt crura plantis, & horum aliqui cum digitis octo in ſingulis pedibus. Cyclopes, & bina in vtroque oculo pupilla præditos, homines monoſcelos, andraginos, cynocephalos, atrachilos, acephalos, aſtomos, & alia non pauca naturæ ludibria. Indiæ pręſertim familiaria ſi Plinio, aliiſque quibuſdam ſcriptoribus creditur. Taceo & homines gentis Turdulorum ſeptenis coſtis creari, quòd id nullius idonei authoris teſtimonio conſtet. Trogloditas ad Nili exortum puſillos eſſe ac Pygmæos, & alios in India ſpithamiæos, ſeu dodrantes tres altos cum

Ibidem.

Ariſ. li.3. hiſt. cap.11. li.6. Epid.

Plin. lib.7. cap.2.

Lib.1. hiſt. cap.15.

gruibus certantes, Homeri atque Ariſtotelis teſtimonio certius eſt. Hæc argumenta, & quæ Hippocrates libro de aquis, aëre & regionibus alia cęlo, ventis, ſolo, adſcribit, non leuiter me mouēt, vt credam noſtris corporibus magnas interdum mutationes accidere. Quam rem etiā ſequentia confirmant.

Sec. 14. prob. In locis multū vel æſtuoſis, vel frigidis homines ſunt aſpectu & moribus efferi: qui tamen loca colunt feruida, timidi ſunt magis ſed ſapiētiores: qui verò frigida, ſunt fortiores: ſic Hippocrates (cuius tanquam Dei cuiuſdam rationē magis ſequimur, quā Firmici aut Ptolemæi) Aſianos pulchriores, maiores, benigniores, cultiores, timidiores, effœminatiores, imbecilliores demōſtrat ob cæli temperiem & leges Europeos contrà, magnitudine multùm inter ſe diuerſos, feroces, magnanimos, audaces, integros, bellaces: ob cœli inconſtantiā, & quia regibus non ſeruiebāt. Animalia quoque cætera & plantas omnes felicius in Aſia tēperata, quàm in reliqua, aut etiā in Europa prouenire. Viuaces tamen magis ſunt in locis ca-

Sect. 14. lidis editis, apertis. Et vlcera capitis in

locis ſunt paluſtribus curatu faciliora, quàm crurium: & magis fiunt regionibus frigidis ardores febrium, ſiue cauſi hyberni, vt æſtiui calidis. Dyſenteriæ quoque, & tineſmi, & choleræ, & morbi alij à bile magis naſcuntur locis calidis, vt frigidis à pituita. Æſculapij tẽpore, deſtillationes & inflationes non erant. Sæculo quoque Hippocratis rigor non erat ſine febre, ob victum frugaliorem, Galeni tempeſtate iam erat frequens, hodie frequentiſſimus præcipuæ mulieribus ob victum intemperantiorem. Eunuchi quoque podagra non laborarunt ad vſque Hippocratis tempora. Galeni ætate iam frequenter podagrici erãt ob victus intemperiem: & mulier podagrica etiam fluentibus mẽſibus, & pueri podagrici ante vſum venereorũ. Peripneumonia, pleuritis, podagra, & alij aliquot morbi ante pubertatem, ſeu annũ decimumquartum non fiebant: aliis ætatibus & hi, & alij morbi fuerunt familiares: nũc horum pleriq; aliter contingunt. Mulieres veſicæ calculo non laborabãt ob frugalitatem, & colli veſicę amplitudinẽ, breuitatẽ, rectitudinẽ: nũc ob victũ intẽpe.

Plat. dialog. 3. de repub. lib. de cauſis ſymp.

Aph. 28. 29. 30 li. 2.

Lib. de coacis prænot.

Lib. de aquis.
Hi. aph. 44. lib. 7. libro de aquis.
Plin. li. 26. cap. 1.

rantiorẽ in veſica calculoſę ſunt quamplurimæ. Mulier ambidextera non fiebat ſæculo Hippocratis: iam non rara inuenitur. Morbi quoque ſunt familiares quidam vrbibus orientalibus, ſed pauci: plures occidentalibus, meridianis ſeptemtrionalibus. Tiberij quoque Cæſaris principatu medio lichen ſeu mentagra Romam ex Aſia irrepſit in procerum mẽtum & faciem reliquam fœdo cutis furfure. Carbunculi etiam & elephãtiæ, & colicus dolor noui aliquando Italiæ affectus acciderunt. Et paulò ante noſtram ætatem morbus maximè pernicialis & cõtagioſus, elephantiæ ſymptomatum ſæuorum magnitudine propinquus. Europam prius peruaſit ex orbe nouo inuectus, vt doctè probat Manardus, ętate noſtra medicus longè diligẽtiſſimus: nunc etiam tenet Aſiam & Aphricam.

Sudor Britannicus.

Noſtra denique memoria morbus, neſcio quis ſudatorius ex Britannia in Germaniæ loca quędam maritima peruaſit, acutiſſimus, & corrupto cæli tactu epidemius magis quàm nuper dictus contagioſus. Vides natura, moribus, forma corporis, colore, magnitu-

dine, morbis homines, vti animalia cętera, plurimùm per cæli, regionúmque natura & victuum, variare, ſi quid maioribus, vera omnia ſcribere conſuetis, creditur. An verò nunc Homero, Hippocrati, & aliis poſt eos pleriſque teſtibus bonis, nō credis Amazonas fuiſſe in Scythia, propterea quòd hodie forſan videri deſierint? An reges Europæ nullos fuiſſe falſò tibi affirmaſſe ob id videtur Hippocrates, quòd hodie ſint quā plurimi? An malè aſinos Scythiæ, ob frigus immēſum negauit Ariſtoteles, aliáque non pauca locis aliis in quibus tamen hodie luxuriant? Neque taxandus Hippocrates, ſi Silphium olim Syriæ Armenię, Mediæ, Libyæ familiare, hodie Ionia & Peloponneſus, gignat cum ſuo temporę ob humoris Silphio cognati inopiam, nō gigneret? An marem hominem moueri in dextro latere vteri, circa diem quadrageſimū falſò affirmauit Hippocrates, & poſt eum Ariſtoteles, quòd hodie mulieres non paucæ motum hunc multò tardius experiuntur, & quædam fœminas quàm mares moueri citiùs ſentiunt, & quædā mares ſiniſtros fœ-

Lib. 4. de morbis.

minas dextro vteri latere perpetuò ferunt? Quòd ſi ſemen ipſum & priuſquã ab omnibus animalis partibus decidatur, & poſtquam vtero conceptum eſt, ac inde embryõ, ipſumque fœtum animi moribus & corporis natura ſic mutare ſolẽt, aër vẽti, ſol, victus ratio, an miramus adhuc hominum corpora non modò per mundi ætates, ſed etiam per regiones propè ſingulas immutata eſſe? Temporum ſiquidem mutationes crebræ, & inter ſe plurimùm diuerſæ quibus locis contingunt; iiſdem hominum formas, & mores, & naturas plurimum diuerſas reperias. Adhæc regio in quã multę mutationes fiant, & aquarũ magna eſt varietas, hominum naturas plurimùm immutat: adeò vt carnoſi, malè articulati, humidi, laborum impatientes, & vt plurimum maligni, ſegnes, ſomnolenti, ſtupidi, artibus tractandis inepti naſcãtur in terra pingui, molli, aquoſa, ſed aquis valde ſublimibus & ſuperficiariis: ita vt ęſtate caleant, hyeme frigeant. Contrà autẽ regio nuda, natura munita, aſpera, à frigore hyberno preſſa, à ſole ęſtiuo exuſta, duros, robuſtos, vegetos, be-

Lib. de aquis.

Ibidem.

nè articulatos, hirſutos, laboris patientes, vigiles pertinaces, iracundos, feros magis, quàm manſuetos, acutos, ſolertes, artibus & rei bellicæ aptiores producit. Ex his abundè cuiuis patere arbitror magnam partium corporis humani varietatem in magnitudine, numero, figura, & ſitu per varias regiones cõtingere ob illarum cælum, & ſolum, & victus rationem. Quo etiam fit, vt ſphenoides poſtica parte ſẽper foraminulentum eſſe cum Galeno contendam, licet magis & minus id recipiam. Quin & ſpondylorum colli apophyſes tranſuerſæ omnes nobis ſemper ſunt pertuſæ, Galeno infima raro pertuſa eſt viſa. Sutura quoque ad dentes caninos ſemper Galeno eſt obſeruata, nobis raro integra, imperfecta tamen propè in omnibus apparet: nũc ſcilicet in palato tantùm nunc inter oſſa naſi & magnum cantum inchoata, frequẽtiſſimè etiam in foramen ſub oculo deerrans. Cartilaginoſum quoque os cõmiſſuræ acromii & clauis ſuperdatũ, cum Hippocrate & Galeno quotidie in multis obſeruamus, & ſæpe cartilaginem inter vtrunque os velut innatan-

tem, qualis in altero fine clauis, in capite genæ infernæ, in fine cubiti vna, in tibię cauitate gemina cernitur. Sternō Galenus cum veteribus ſeptem oſſibus perpetuò conſtare obſeruauit, quamuis coſtarum numerus non ſemper idē ipſis apparuerit. Nobis autem oſſium ſterni numerus maximè eſt varius, & frequentiſſimè parcior. Quam rem ſequitur thoracis & breuitas, & inde multa in partibus thoracis, & actionibus varietas. Ex hac enim thoracis lōgitudine oſſa ſterni ſeptem ſequente, & ex reliqua eiuſdem capacitate factū arbitror, vt Demoſthenes contenta voce vno ſpiritu complures verſus pronunciarit, & Hercules ſine reſpiratione vnum ſtadium decurrerit, & Torquatus quidam Mediolanēſis vno ſpiritu tres vini cōgios, hoc eſt pintas Pariſienſes nouem (nam congius ſextarios Italicos, ſeu chiopinas ſex continet) ſiccarit: & Milo ille Crotoniates athleta fortiſſimus, viuum bouem per ſtadium vno ſpiritu pertulerit. Quæ alia multa huius magnæ reſpirationis teſtimonia afferri poſſunt. Sed hęc ſuffecerint, præcipuè cum videas noſtris

Laurenti. Valla li. 2. cap. de cum, & tū.

hominibus ob thoracis breuitatem, ſimul breuem eſſe admodum reſpirationem, etiam ſi thoracis anguſtia anheloſis moleſtia non acceſſerit. Decima metaphreni ſpina Galeno, & in prioribus eo medicis ἀρρέπης ſemper eſt viſa, nobis eſt recta ſępe vndecima, ſæpius duodecima. Spondylorum hoc decimo inferiorum, & ſpinę & apophyſes tranſuerſæ frequenter nobis, vt Galeno ſemper, ſurſum vergunt: alii eas in ſuis regionibus deorſum inclinari affirmant. Quid, quod azygos vena calumniatori (vt ſcribit) ſæpe viſa primùm bipartita, idque etiam variè: & Nicolao Maſſæ etiam in ortu ipſo bifida & coniugata: qualis nunquam mihi viſa eſt, nec viſam Pharrhiſiis audio, tamen illorum teſtimonium facilè recipio. Deberent hi quoquè Galeno, & veteribus omnibus vera & ſenſibus manifeſta locutis, aſſentiri: non in omnia calumniari, etiam ſi in quibuſdam corporibus ſint quæ ſcripſit Galenus contemplati. Magnam igitur eſſe in corporibus per cęlum, ſolum, & victũ, varietem quę antè teſtati ſumus abundè declarant: & cum reliquis Galeni de

oſſium natura placitis noſtra corpora conſentiunt. Si quæ vero aliarũ regionum corpora diſſentiant, certè cõprobant quod diximus immenſum corporis partes per varias regiones immutari. Idem quoque in partibus aliis de Galeno eulogion cõcipe: eum ſcilicet quæ & maiores, & ipſe vidit frequẽtiſſimè aut ſemper, ſcripſiſſe: nihil falſum aut mendacio affine vnquam docuiſſe, vt libri eius omnes locupletiſſimè teſtantur. Non ſunt igitur ignorantiæ aut negligentię taxandi maiores noſtri in re anatomica, ſed mutationis in noſtris corporibus cauſa eſt agnoſcenda, quæ corporum naturã vitiarit. Multò æquior Galenus, & humanior in præceptores ſuos fuiſſe paſſim comprobatur, & in Herophilum. Cùm enim vaſa quatuor vtrinque duo, venam vnam & arteriam vnam: illam à caua, hanc ab aorta in vterum diſtributam docuiſſet, addit. Alia item quatuor vaſa in quibuſdam mulieribus ſe vidiſſe teſtatur Herophilus, quæ à renalibus orta, vterum adeant. Quæ (inquit) in nullis animalibus aliis quàm in ſimiis, & ea rarò inueni. Neç diffido ta-

Lib de anatom. vteri.

mē quin Herophilus ſæpe hoc in fœminis etiā inuenerit, qui cum in aliis omnibus, quæ ad artem ſpectant, tum verò ad exquiſitiſſimam anatomarum cognitionem peruenit, ac maiori ex parte non in brutis, vt plerique ſolent, ſed in hominibus ipſis periculum fecit. Hæc Galenus, quem Herophili ſectatorem certū eſt in hominibus anatomas exercuiſſe magis quàm in brutis. Quòd ſi multa anatomarum obſeruatione inuenit aliquis pauca quædam aliter habere quàm ſcribat Galenus, acceſſiones quaſdam ad Galeni anatomica adſcribat, aut admoneat. Plus enim gratiæ & gloriæ etiam ſolidę illa ipſi pietas apud poſteros conciliabit, quàm impia linguæ petulantia ore ſacrilego effuſa admirationis apud imperitos omnis ordinis homines ſit præbitura. Nam qui ex medicis hæc impietatis ſtudia magnifaciunt, & res nouas in lucem nuper editas colunt ac prædicant, hi rerum anatomicarum imperiti cum ſint, & fortè reliquarum medicinæ partium, facilè abiecta haſta ad impiorū caſtra trāsfugerunt ignari & quæ deſerāt & in quæ cōuolent. Quibus omni-

bus mentem precor meliorem: & hortor, vt cognitam noſtris laboribus Galeni varitatem anatomicam venerẽtur, ad Galeniq́ue fidem quamprimùm redeant. Fauete igitur animis, & linguis lectores optimi, & diligenter attendite, dum vobis Galenicam puritatẽ, quàm poſſum breuiſſimè, & clariſſimè interpretor.

IN LIBROS HIPPOcratis & Galeni Anatomicos Iacobi Syluii Medicæ rei apud Parrhiſios Regii interpretis Iſagoges.

LIBER I.

PROOEMIVM.

EX materia & forma mũdi naturis communibus, & principiis conſtituuntur, ignis, aër, aqua, terra, rerum omnium generãdarum, & corrumpendarum elementa quatuor cõmunia. Ex quibus proportione ad cuiuſque actionem vel vſum, idonea menſuráque iuſta permiſtis, humores quatuor generãtur, ſanguis ſincerus, pituita, bilis tum flaua tum atra, animalium ſanguinatorũ velut elemẽta, ſanguinem miſtum componẽtia, & eius ſanguinis interuentu ſperma, duo

generationis noſtræ primordia. Ex híſque tandē partes cōflantur ſimplices ac ſimilares, tam ſanguineæ quàm ſpermaticæ: quas hominis tanquā elementa medici ſtatuūt,& colore illas rubro, has albo ferè fecerunt. Sunt verò ipſæ huiuſmodi, oſſa, cartilagines, ligamenta mēbranę, villi, carnes, glandulæ, pinguedo, medulla. Quibus nerui, venæ, arteriæ, muſculi interdū adduntur, cōpoſitę quidem partes, ſed minus quàm aliæ propè reliquæ: ob id ſimplicibus proximæ,& ſimplices dictæ Gal. commētario in librum de natura hominis. Libro autem de differ. morborū, prima & ſimplicia inſtrumenta vocantur. Compoſitæ autē probantur libro primo Methodi, & libro de inæquali intemperie: vena quidē & arteria ex villis, & membranis, muſculus verò ex vena, arteria, villis neruoſis & ligamentoſis, & carne ſimplici cōſtare, libro de motu muſculorum: vbi & tendo, muſculorum quorundam finis, ex eiſdem villis componitur. Quin & nerui ex meningibus, & ſua propria ſubſtantia harum media componi apparent. Vngues quoque inter digitorū partes minimas

ſtatuuntur, lib. de inæquali intemperie. EX iiſdem ſimplicibus noſtris partibus magnitudine, numero, figura, ſitu variè coagmentatis compoſitæ ſunt, plurimùm quidem organa hæc prima & maxima, caput, thorax, venter, κῶλα ſeu artus, hoc eſt, femur totum, manus tota: minus verò, horum ipſorum partes maximæ, vt capitis, facies, collum, pars capillata: thoracis, cor, pulmo, thorax ipſe: imi ventris, ventriculus, inteſtina, hepar, lien, & reliqua eius inſtrumenta: manus totius, brachium, cubitus, manus extrema: fœmoris totius, crus, tibia, pes. Et his adhuc cõpoſitę minus aliæ atque aliæ, donec ad prædictas ſimplices ac ſimilares multis communes ſit diuidendo peruentum ac reſoluendo: quibus etiam ſanguinem, ſaniem, pituitam, bilem flauam & atram, & ſtercus, pilos, vngues adnumerat Ariſtoteles. Quin & Galeno ſpiritus, & humores quatuor partibus ſimilaribus accẽſentur, vti partes ſolidæ, quibus tribus febris ineſt, intemperies calida, partium ſimilarium proprius morbus. Cæterùm cum ſimplex compoſitio ſit, & natura, & doctrina pri⁹, de *Lib. 3. hiſt. cap. 1.*

ſimplicibus ipſis partibus eſt antè agẽdum ordine docendi compoſitorio: quem hac in Phyſiologia præcipuũ ſequimur initio ab oſſibus ſumpto. Nam de naturis & cõmunibus rerum principiis, materia & forma, libris phyſicorũ abundè tractauit Ariſtoteles: de elemẽtis, Hippocrates libro de natura hominis: Galenus ſcriptis aliquot in eum librum cõmentariis: Ariſtoteles paſſim, & nos quoque commẽtario de elemẽtis inſcripto. De humorũ quoque noſtrorum natura Hippocrates libro de his inſcripto, & libro de natura hominis, & in aphoriſmis, & alibi paſſim: & Galenus tum ſuis in eos libros cõmentariis, tum libro ſecundo facultatũ naturaliũ, de temperamentis, de febribus, & aliis compluribus locis. Ex quibus poteſt quiſque etiam mediocriter in re medica inſtitutus, quæ ad humorum quatuor naturã pertinent repetere. De ſanguine miſto ibidem leges: de ſemine autẽ pleniſſimè docent tum Hippocrates libro de genitura, tũ Galenus libro de ſpermate. Ne igitur quæ præceptores noſtri, omnium nobis bonorũ authores, & rectiùs & plenius ſcripſe-

runt, hîc otioſè repetam, ad hos fontes puriſſimos, & vberrimos te remitto: ex quibus cùm hauſeris quantũ cupiditatẽ tuã ſatiaris, ne illos quæſo, impiorũ huius tẽpeſtatis ſycophãtarum exemplo, conturbaueris, conſpurcaueris, & conſpueris: vt lectores alios ab his deterreas, ſolúſque in precio habearis: cùm reuera quicquid dignum lectione habeas, id totum illis debeas. Quo crimine haud ſcio an quicquam flagitioſius, & nota inſigni, & cenſoria dignius fieri, aut etiã cogitari queat. Quis enim, etiam ſtupidus, ferat fontem priùs illimem, & vndis argenteis nitidum ab apro potũ, mox pedibus & roſtro eius cõturbari, ſpuma inquinari, grunnitu infamari, deinde permei, atque cõcacari? Nonne mox fuſte aprum abiget, ac ſi poteſt, vti dignus eſt, mulctabit? At magis animaduertendum facinus id fuerit, ſi ab homine rationis alicuius participe, mala ſciẽtia perpetretur. Vobis igitur lectores pii & candidi, præceptorum veſtrorum cauſam certè veriſſimam, & æquiſſimam modis omnibus tutandam relinquo: nẽ pro ſuis ſeminibus bonis malũ ab ingratis metãt. In-

terim ad rem propoſitā aggredior,&ab oſſib⁹ hāc in Galeni anatomica Iſagogē auſpicor: quòd hęc sũt reliquę hominis fabricæ, velut pali quidā & fulcra, quibus cęteræ partes affiguntur,& ſepę affingũtur, vt in oſteologia Galeni abũdè ſcripſimus: vſum vero ſubſtātiæ, magnitudinis, numeri, figuræ, ſitus, connexionis oſſiũ & partium reliquarũ tum ſimplicium tum cōpoſitarum, ex libris Galeni de vſu partiũ repetes: hîc enim ſtatuimus oſſium noſtrorum nomēclaturas breuiter deſcribere, & alia quędā haud ita multa, in libris nuper dictis vel omiſſa, vel breuiùs perſtrictá.

Gal. initio admi. anat.

DE OSSIBVS.

CAP. I.

OSſa ſunt partes noſtrę omnium maximè terreſtres,& ob id ſicciſſimæ, duriſſimę, frigidæ: & quia neruos non recipiut, ſenſus tactorii expertes, præterquàm dētes, quos etiā oſſibus rectè Galenus accenſet. Oſſium verò differētię ab apophyſib⁹, epiphyſibus, cartilaginib⁹, ceruicibus, capitibus, ſoliditate, cauitatibus, harũ quarundā ſuperciliis, medulla, & aliis quibuſdā ipſorum particulis, & à cōſiſtentia, magnitudine,

Gal. li. de oſſibus.

Ibidem & lib. 11. de vſu partium.

numero, figura, ſitu, &accidẽtibus aliis ſumptæ, tibi in ſceletis cõpluribus & regionũ variarum, ſpectandæ ſunt, ac etiã tactu explorãdæ potius, quàm legendæ fuſius ac audiendæ: prꝗſertim cum oſſa ipſa, & ea ex quibus differentiæ huiuſmodi ſumũtur, lectori adhuc ſint incognita. Hîc quoque ſciẽs omitto, quę oſſa, vel oſſiũ partes nomẽ à rerũ externarũ figura, vel aliunde ſunt ſortita, quòd ea ſint omnia ſuis locis in Galeni oſteologia audiẽda, vt σφηνοειδὲς, χαφιοειδὲς, πτερυγοειδὲς, ζυγῶδες, ὑοειδὲς, ξιφοειδὲς ἀγκυροειδὲς κορακοειδὲς, σκαφοειδὲς κυβοειδὲς, σησαμοειδὲς, & alia non pauca: dicã tamẽ paucis de quibuſdam baſeos cranij (quòd velut κρανος id eſt, galea cerebrũ vndique cõmunit) differẽtiis à figura ſumptis, ſi prius omniũ corporis oſsium nomina recenſuero.

cranii 7 {
- Frõtis, vnũ, aliquando geminũ quãdo ſutura recta naſi principiũ attingẽte, diuidit.
- Bregmatis, ſeu ſincipitis duo.
- Temporalia duo.
- Occipitis vnum.
- Sphenoides vnum: cui

addi poteſt paruũ criſtæ gallinaceę æmulũ, foramina ethmoidea complexum.

Oſſa genæ ſupernæ 14.

Sex os frõtis tãgẽtia, vtrinq̃ tria, maximũ, minimũ, ſitu & magnitudine mediũ: quib⁹ addas duo naſi parua, & cõtigua his, duo lõgiſſima, dẽtes inciſores cõplexa, galeno in omnibus ſceletis, nobis in multis obſeruata. Maxima omnium duo dẽtes cæteros cõtinẽtia; minima duo in palati intimo receſſu prope ipſius foramina.

Duo in mẽto vnita, vtrinq̃ ſine altero velut bicornia, dẽtes infernos cõplexa omnes, hoc eſt, in perfectis ſeſexdecĩ: molares q; decẽ, caninos duos: inciſores quatuor: quot

Genæ infernæ — etiã gena ſuperna cõdere ſolet, in viris prę-ſertim: nã mulieribus ſunt pauciores etiam Ariſtoteli, vt ętatis huius pleriſque. genuinos denique, quibuſdam quatuor, vtraq; ſcilicet gena binos circa annum viceſimum aliquando & octogeſimum naſcentes molaribus continuè. *Hiſtoria anima. li. 2 c. 3. & 4. & in fine generat.*

ἰσοῦδιος velut bicornis vtrinque, plura, pauciora, vt mox audies.

Oſſa — racheos totius 24. — Ceruicis ſeptem. Metaphreni ſeu thoracis duodecim. Lumborum quinque quibus ſubditum os ſacrum tribus connatis oſſibus coagmentatum, & coccyge, etiã oſſa tria, quatuor cartilaginoſa, & connata complexo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

- Oſſa
  - Thoracis
    - Sterni tria, quatuor, quĩque, ſex, ſeptem, plura.
    - Coſtę viginti quatuor, rarius plures q̃ pauciores.
    - Claues duæ
    - Omoplatę duę vtrinq; vna
  - man⁹ toti⁹ & vtriuſque.
    - Brachiorum duo.
    - Cubitorũ quatuor, duo ſcilicet cubiti, & totidẽ radii.
    - Carporum ſexdecim.
    - Metacarpiorum octo.
    - Digitorum triginta.
    - Seſamoïdea intra digitos & articulos triginta octo: quæ verò extra articulos incumbunt minora & obſcuriora.
  - fęmoris totius & vtriuſque.
    - Ilium duo oſſa, pubis duo, & iſchii duo, complexa inuicem & connata in iſchii cotyle & lateribus.
    - Crurum duo.
    - Molæ duæ.
    - Tibiarum quatuor, tibiæ duæ, & peronæ duæ.

Aſtragali duo.
Pternæ duæ.
Scaphoïdea duo.
Cyboïdea duo.
Tarſi ſex innominata
Pedii decem.
Digitorũ vigintiocto.

Seſamoïdea ad flexus articulorũ manus alterius nouẽdecim, pedis totidẽ, ad tenſiones verò articulorũ manus ferè 14. præcipuè ſenibus: pes autẽ supernè his caret, ſed grandia duo habet, ad articulũ aſtragali quidẽ cũ ſcaphoïde vnũ, pternę verò cũ cyboïde alterũ. Seſamoïdea dicuntur, quia ſeſami ſemen oblongũ, & planũ figura referũt, articulos manuũ & pedũ, quà flectuntur, firmant: ne in magna tenſione euertãtur & luxentur. Horũ numerus, & vſus iſte cõprobatus à nobis eſt in calumnię duodecimæ depulſione. ὑοειδὴς os quia ſimile forma literæ υ ſeu y pſilo, & λ, vnde & ὀψιλοειδὲς quoq;, & λαμβδοειδὲς vocatur Galeno: ſitũ eſt ad linguæ radicem ſuper laryngem. Huius oſſis velut baſis antica parte ad ſecuritatẽ gibba eſt, poſtica linguã ſpectãte, caua, ad continendum: duo vtrinque ſeu cor- *Libro de anat. neruorum.*

nua emittit, breuius & inferius, vnum oſſe vnico conſtans, in thyroidis apophyſin prælõgam inſerto: alterum gracilius, rotundius, longius, oſſiculis tribus, quatuor colligatis inuicem, ad ſtyloidis radicem aſcendentibus conflatum. Quo loco quibuſdam præſertim mulieribus ligamenta ſunt tantum ſine oſſiculis.

Oſſicula duo meatui auditorio hærentia, ſed mobilia, & membranam tenuem, denſam, ſeu tympanon percutientia, ad ſonum & auditum facere putantur Nicolao Maſſæ Veneto.

SCHOLION.

Prima duo, primus inuenit Iac. Carpenſis: Tertium verò ad illa duo adiecit Io. Philippus Ingraſsia medicus Siculus, & nomine Stapedis donauit. Primum horum Malleolus eſt, caudam vel pediculum inſertum membranæ internæ in facie habens. Caput vero ſurſum elatũ verſus anteriora. Huic capiti inſidet incus, ſecundum oſsiculum, ea ſui parte quæ latior eſt, leni quadam cauitate tuberculum dictum excipiens: Cumque Incus gemina crura poſsideat, altero quod breuius, craſsiuſque & elatius eſt hæret, parieti tympani: Altero vero oblongiori gracilique ac decliui cõiungitur cum Stapedis apice: qui quidem Stapes ſua baſi alteram quæ eſt ſuperior Tympani feneſtram claudit.

Nunc ad variam baſis cranij figurã, vti etiam pollicitus, tranſeo. In cranij interna baſi cauitatum triplex differẽtia eſt, foſſa, foramẽ, ſinus. Foſſa eſt velut vallis quædam oſſibus ceu collibus anſancta, & vndique concluſa. Foſſæ autem vtrinque tres ſunt: primæ duæ ad nares & oculos in oſſe frontis inferno omnium minimæ, poſtremæ totidẽ in occipite, omnium maximæ: duæ autem reliquæ, ad aures ſitu & magnitudine ſunt mediæ: vtiles cerebro his partibus auctiori capiendo. Quidam verò tanquam colliculi his circumpoſiti, ſunt cranij oſſa huc illuc intrò extuberantia. Foſſæ item in baſi externa, ſub auribus genam infernam excipiẽtes, & in apophyſi pterygoïde vtraque, & ad ſexti neruorum paris foramẽ: ſed minus inſignes, quàm quæ infra & ſupra palatum, & ſub zygomate in temporibus, & in oculorum loculamento. Quarum quis ſit vſus tum intelliges primùm, cùm partes his foſſis deſtinatas doceberis. Foſſis quoque addi poſſunt velut canales vaſorum ſanguinis, exculpti intus in oſſe occipitis vtrinque, & in medio oſſe bregmatis, & frõ-

Foſſa in cranio quid, & quotuplex.

tis, aut propè medium, inſignes quidẽ illi ob vaſorum amplitudinem:ac præter hos,quidam minores in aliis oſſium propè omnium cranii partibus internis, ad vaſorum ſanguinis aliorum,ſed minorum,viam liberiorem:vt in venarum & arteriarum anatome audies.

Foramina in cranio, atque eorũ ordo & vſus.

Foramina autem quæ foras exeunt in baſi cranii interna,hoc ordine ab antica parte cœpto apparent.Prima octo, plura pauciora minuta ceu verſu gemino ad nares pertinentia: pituitæ cerebri humidioris excernendę,& tranſmittendis in olfactus quidem iuſtrumentum vaporibus odoris, in ventres verò cerebri, aëri per nares inſpirato, deſtinata. Quibus ſimilia ſunt,ſed ferè minora & in orbem ſita in ſphenoide, inter apophyſes clinoïdes quæ pituitã ſani cerebri etiam ſola tranſcolant in palatum præcipuè.Inter quæ,medium foramen ſæpe eſt inſigne,vt in ethmoïdibus illis primũ venulam iugularem internam excipiens, & tranſmittens in craſſam meningem. Poſt ethmoïdea foramina, duo ſunt rotunda in oculos tranſmittentia neruos opticos ſeu viſorios, & venulam parui canthi. Pro-

1 rebri humidioris excernendę,…

xima his ſubiecta duo, ſciſſuræ longio-
ri ſimilia, ſed initio ſubrotunda: quia
ſcilicet ſui parte neruos oculi motores
in oculi muſculos ſeptem tranſmittũt,
& neruulos quatuor poſterioris paris
tertii in vicinas oculo partes, & arteriã
ex cerebri baſi in oculum, & crotaphi-
tarum partem internam. Per ſciſſuræ
verò reliquum, venam in craſſam me-
ningem & arterię caroditis ramum in-
ſignẽ. Subdita his parua duo portioni 5
paris quinti in crotaphitan debita: quę
deſunt quando portio hæc per dictam
ſciſſuram cum neruulis quatuor paris
tertii dictis, excidit. Propinqua his ob- 6
longa duo, pari neruorum tertio reli-
quo, & quarto deſtinata. His propè cõ- 7
tigua, ſed exteriùs parua duo, interdũ
quatuor, vtrinque ſcilicet bina, venu-
lam iugularem immittunt. His & fora- 8
minibus tertii & quarti paris hiatus
quidã adiacet, in quibuſdã craniis vn-
dique velut pręruptus, ſæpe contiguus
foramini amplo ſphenoïdis, per quod 9
pręcipua carotis, ex obliquo oſſis audi-
torii foramine elapſa, in cerebrũ aſcẽ-
dit: nõ autem cerebri pituita in partes
ſubiectas, per id excernitur †, magno

† Videtur hic quadã omiſſa & eſſe legẽdũ. Nã hoc nõ foret niſi cũ magno; &c. Aut hæc tãtum dictio inſerenda (niſi)

earum partium & vitæ incommodo.
Talis quoque hiatus ſæpe apparet in
10 foramine ſexti paris. Vltra hæc, parte
poſtica oſſis auditorii, foramen eſt am-
bagioſum quidem ſed in aurem per-
uium, neruo auditorio deſtinatum, à
quo foramine propè medio, parua duo
exeunt: vnum anfractuoſius, neruulo
ab hoc pari quinto in crotaphitas, &
maſſeteras emittendo, deſtinatum: al-
terum venulæ iugulari in meatum au-
11 ditorium immittendæ. Poſt hæc, am-
plum foramen par ſextum neruorum
emittit, & immittit carotidem mino-
rem, & internam iugularem præcipuã
in canales in oſſe occipitis inſculptos
12 ipſis ſanguinis ductibus. Huic proxi-
mum, ſed obliquum ad rachitidis fo-
ramen ſeptimo neruorũ pari debitum.
13 Huic proximum exile ad apophyſin
occipitis, reliquias ceruicalis venæ, &
arteriæ cerebro immittit in vas com-
mune † vbi verò id foramen nunc in
ſextum paris, nunc in ſexti, nunc in me-
dium horum interuallũ exit: quas tres
eius differentias in tribus craniis, quæ
tum fortè mihi ad manum erant cum
hæc ſcriberem, deprehendi. Aliud in

† Manifeſtè locus vitioſus ſic debet emẽdari. Eſt verò vbi id foramẽ nunc in

ſuturæ

ſuturæ lambdoïdis additamēto, venulam iugularem in prædictos ductus ſanguinis obiter emittens: & hæc omnia ſunt gemina. Poſtremū eſt omniū maximum, rachitidis. In baſi verò externa ſunt, præter iam dicta, etiam alia foramina: in ſupercilio quà oculum tangit ſæpe vnum, ſæpe duo, ſæpe lio-tum loco parua rima, & cauitas in altero tantùm, vel vtroque, via neruulo à tertio pari lōginquo in ſuperciliorum & frōtis cutim, vt ſentiat & moueatur. Sub oculo vnum mediocre, alteri neruulo eiuſdem paris deducendo in partes faciei, muſculos, gingiuas, dentes ſupernos: in magno cantho magnum, tertio eiuſdem paris neruulo, in nariū tunicam deducendo. In palati initio vnum, medium ad inciſores dentes, infernè ſimplex, ſupernè duplex, venulā & arteriolam emittit, & narium oriſque tunicam committit. In fine palati vtrinque vnum, neruum quarti paris demittit. Propè hæc duo palati foramina maxima reſpirationi per nares ſeruientia, & pituitæ in fauces vacuationi, ſciſſura longa ſub zygomate in oculi cauitatem incidit, neruóſque pa-

ſexti paris, nunc mſeptimi, nunc in medium horum interuallum exit. &c.

Palati foramina.

ris tertij longinqui in crotaphitan trāſmittit & vaſa quædam. In hiatus latere antico, duo parua: vnum arteriolam à carotide præcipua, hac cranion ſubeūte, in nares educit: alterum in ſinum ſphenoïdis fertur. Inter apophyſin maſtoïde & graphioide paruum, cæcum: paruum aliud ponè maſtoïde, ramulū iugularis externæ in vas cerebri commune emittit. Sinus ab ore anguſto in amplitudinem lateſcunt: vt in mari & vlceribus, ſic in oſſibus. In oſſe frontis duo ad ſupercilia, ampli, humore mucoſo pleni, fortaſſe olfactui ſubſeruiūt. In oſſe ſphenoïdes duo ampli, oſſe tenuiſſimo ſecreti, pituitam ex choana per glandulæ & oſſis hic tenuiſſimi foramina acceptam, emittūt in palatum præcipuè & nares aliàs aëre pleni, carotidis præcipuè diaſtolem & cerebri iuuare poſſunt. In apophyſi maſtoïde duo magni, ſæpe plures ſed parui, auditui ſubſeruiūt. In gena ſuperna duo vaſti ad molares, quibus ceu medullā in alimentum ſuppeditant. Adde his paucas alias oſſium differentias à figura ſumptas. Omoplata quia triangula dicitur (cum verius ſit trapezia, id eſt pro-

pemodum triangula, & quodammodo quadrangula, quòd ad ceruicem duos habeat angulos ſibi propinquos) coſtas habet duas, ſuperiorem & inferiorem, & baſin ſpondylos ſpectãtem, omnia hæc minerua craſſiore quàm mathematici æſtimãtes, & angulos hîc duos ſuperiorem & inferiorem. Spinæ verò eius, & acromij, & colli, & glenes, & ſimæ partis ac gibbæ mẽtio plenior, libro de oſſibus facta eſt. Apophyſes præterea oſſis innominati (quòd os pubis, & iſchij, & ilium cæteris maius comprehendit, & ob id os ilium aliquando dicitur) acutæ ſpinarum modo, ſpinæ nobis vocantur: quanquam & coronæ vocari poſſint, inter quas ceu promontoria quędam, veluti ſinus parui obſeruantur. Quorum amborum, ſpinarum, inquam, & ſinuum hiſtoria, muſculis, neruis, venis, arteriis in crura diſtribuẽdis nõ parũ cõducit: ob id eadẽ paucis hoc loco declaranda veniunt. In oſſe pubis ſpina vna prope ſummam ipſius cum altero congenere commiſſuram, cui maximum foramen ſubiectum, pubi quoque adſcribitur: etiã ſi portione ſui bona ab oſſe iſchii *Spinæ.*

ambiatur. In oſſe ilium ſpinæ duæ anticæ: vna inferior cotylæ incubat, altera coſtam finit oſſis ilium ſuperiorẽ, nam quodammodo id os eſt triãgulum. Rectam quoq; ilium oſſis lineam, ex qua oritur pars muſculi tranſuerſi, vocat Gal. in admi. anat. In oſſe iſchij ſpina vna cotylæ ſubiecta, & ſub hac ſpina tuber eiuſdem oſſis craſſum admodũ minus craſſum tuber eſt, ſed longius, à

Sinus tres coſta ilium ſumma ad cotylen. Sinus verò tres ſunt, ampliſſimus, ſed parum cauus inter ſpinam pubis, & ſpinam ilium infernam, in medio ad cotylen elatior ob horum oſſium commiſſurã. Alter, inter ſpinas duas oſſis iliũ æquè profundus, ſed longitudine multùm varius in diuerſis ſceletis quẽ nos mediocrẽ vocamus. Tertius parte poſtica profundiſſimus inter ſpinam iſchii, & oſſis ilium cũ ſacro cõmiſſuram: quem coccyx non parum adauget, & verum ſinum efficit. Qui verò ſinus, admodũ exiguus & inæqualis in oſſe ilium, quà id cum ſacro cõmittitur apparet, quia parua eſt momenti, nobis omittitur, ſed qui inter iſchij tuber & ſpinã, obturatori interno, qui inter idem tuber,

& cotyles ſupercilium, externo ſeruit. Cauitas in oſſe ilium inſignis intus & foris, muſculis eſt deſtinata, ſed interna ventris capacitatem etiam auget. Quoniam autẽ articulatio eſt oſſium compoſitio, propter motum voluntarium comparata, ipſis autem oſſibus articulos conſtituentibus cartilago, vnctionis cuiuſdam vſum præſtat, ligamenta autem connexionis & firmitatis: nunc de cartilaginibus, pòſt de ligamentis agendum eſt. *Cauitas in oſſe ilium. Lib. 12. de vſu partiũ.*

DE CARTILAGINIBVS.

CAPVT II.

CArtilago pars corporis eſt poſt os maximè terrea, ob id ſicciſſima, duriſſima frigida, ſenſus quoque tactorii, vti & neruorum, expers, ſolida. Oſſa quoque omnia, & dentes genis adhuc clauſi infantibus, cartilago ſunt, quæ tandem in oſſa duratur: vti cartilagines, quæ ſterni oſſa intercedunt, & ſæpe xiphoídes, coſtarum fines, coccygis extremum. Ob id rectè etiam ſcripſit Ariſtoteles, cartilagines ex ea- *Li. 7. vſ. part.*

Lib. 1. hiſt. cap. 1. dem materia conſtare, ex qua oſſa, ſed minùs ſicca; ob id alterutrum fractum, non coaleſcit. *Differẽtiæ cartilaginum vnde petendæ.* Differentiæ cartilaginum à ſubſtantiæ conſiſtentia, magnitudine, numero, figura, ſitu, connexione, actione, vſu, propemodum eædem, quæ in oſſibus ſumendæ: viſu & tactu quàm lectione ac auditu breuius, ac clariùs cognoſcuntur.

Paucas tamen aliquas à ſitu, & connexione, & vſu earum ſumptas differentias fuſiùs explicare nunc ſtatuimus. Cartilago vel oſſibus connaſcitur, vel partem per ſe conſtituit. Quæ oſſibus connaſcitur, nunc oſſa inuicem connectit, nunc oſſibus tantum appenditur. Quæ oſſa ipſa inuicem coniungit, vel per ſe coniungit, vt in oſſibus ſterni, pubis oſſe ſacro, & ſpondylis, & hyoide, & epiphyſibus nondum ita inueteratis: vel communium articuli ligamentorum interuentu: vt in coſtis ſeptẽ veris cum ſterno, in finibus omniũ oſſium diarthroſi aut ſynarthroſi iunctorũ, vbi eſt oſſium articulis ſuperlita ad motuum varietatem, ſecuritatem, diuturnitatem, & quæ articulis quibuſdam velut innatat. Quæ

oſſibus appenſa, aduerſus foris occurſantes iniurias, quaſſantes, aut contundentes, tum oſſa ipſa, tum ſeipſa, tum ſibi ſubditas partes communit, & impetus externos, molliter cedendo, eludit: vt quæ coſtas ſeptem veras perficit, vt multò magis quæ coſtis quinque infernis accreuit, & quæ imo ſterno ξιφοειδὴς dicta, quòd ferè gladii modo eſt acuminata, interdum tamen lateſcens, nonnunquã bifida: & quæ in imo naſo vtrinque, & in medio multiplex, & aures ipſę, & coccygis pars multa, & ſpondylorum ſpinæ, & apophyſes tranſuerſæ, & hyoidis latera præcipuè in mulieribus, & quę omoplatę baſi, & coracoïdi, & acromio, & aliis partibus nudis accreuit. Cartilagines autem in imo naſo, ad hunc habẽt modum: maxima, & craſſiſſima, & duplata in medio ad vſq; oſſa ethmoidea, huius imo alia, ſummo autem, quà naſi oſſa tãgit, aliæ duæ tenues alarũ æmulæ, quarum imam partem ſuperuectę inſignes duæ dextra & ſiniſtra, in multis ante ſectionẽ perſpicuę, vnguium magnitudine, ſubcraſſę, quib⁹ cutis adnata, ſed magis harũ extremo ſubnata, cartilaginoſũ imũ

Lib.13.vſ. part. naſum vtrinque & antè conſtituit. Quinetiam homo animalium ſolus os habet paruum, cartilaginoſum, colligans clauem cum omoplatæ ſpina, ligamentis quibuſdam fortibus, præter communia illa & membranoſa, vt ſecurior eſſet hæc articulatio. Cartilaginoſum verò eſt, quia eminet, & primũ occurrit cauſis externis, frangentibus; quarum impetus cedendo fruſtratur.

Lib.de art. & comment. in eum primo. Id quoque os Hippocrates & Galenus, ſimiæ negant: ne putes cartilaginem eam eſſe, quæ hominibus multis ac ſimis inter acromion & clauis finem intercedit, vt in aliis quibuſdam oſſium iuncturis, de quibus paulò pòſt.

Li.13.v.p. Articulo namque id os foris incumbit: vt ſeſamoïdea oſſa internis manus & pedis digitorum articulis omnibus, & externis manus quibuſdam. Adde, quòd non ſoli fines oſſium diarthroſi, aut ſynarthroſi iunctorum cartilagine leui ad motus liberiores incruſtantur: ſed etiam harmoniarum pars plurima, quæ ſcilicet motus edunt obſcuros: vt in oſſibus carpi & tribus innominatis tarſi, quà tum ſecum iunguntur, tũ vicinis oſſibus. Quæ verò motu

omnino carēt harmoniæ, vix cartilaginem recipiunt, vti nec ſuturæ, nec gōphoſes, nec ſymphyſes: prætcrquam in prima ætate, in qua hæc quatuor, harmoniæ, inquam, ſuturæ, gomphoſes, ſymphiſes aliquandiu cartilaginoſæ perſeuerant, vti & ipſæ epiphyſes, & epiphyſcon cum oſſibus connexio, atque adeò oſſa ipſa etiam tota. Sunt igitur cartilagine hac, veluti tectorio quodam incruſtata in articulis omnibus oſſa duo, vnum cauum, alterum gibbum: idque in his omnibus magis, & minus: vt in articulo genæ infernę cū oſſe temporali, ſpondylorum apophyſibus decliuibus cum accliuibus, coſtarum cum ſpondylis & horum tranſuerſis apophyſibus clauis cum acromio & ſterno, brachii cum omoplata & cubito & radio, & horum cum carpi oſſium ordine priore, huius cum poſteriore, huius cum metacarpii oſſibus quatuor & primo pollicis, horum cum phalangibus oſſium viciņis vſque ad poſtremas: quibus caro & vnguis pro cartilaginis munimento eſt, vti acromio & coracoïdi & olecrano & trāſuerſis ſpōdylorum apophyſibus, & aliis quibuſ-

dam extantibus oſſibus, ligamenta aut multa aut valida pro cartilagine ad munimentum videntur ineſſe. Similiter res habet in fœmoris totius, vt manus totius partibus. In quibuſdam tamen diarthroſibus & ſynarthroſibus, etiam poſt coctionem vel putredinem, non facilè apparent cartilagines ob tenuitatem denſitatémque parti connatæ, & inſeparabiliter cohærentes: vt in oſſis temporalis cauo condylum genæ inferioris excipiente, in fine inferno brachii, ſuperno radii, & cubiti, & aliis non paucis. Acceſſit articulis quibuſdam media & velut inter fines oſſium cartilaginoſos innatans cartilago: vt in commiſſura tum genæ infernę cum temporali oſſe, tum clauis cum ſterno omnium, & cum acromio multorum, tum cubiti oſſis cũ carpo, tum cruris condylis cum tibiæ glenis: vt eas cruris condylos excepturas augeret. In aliis, vt attritus eſſet mollior, in gena verò etiam ad motuũ varietatem ſeruire cartilago hæc poſſit. De qua pleniùs in calumniarum depulſionibus diximus. Huc quoque pertinet cartilago, quę ſynchondroſin cõ-

ſtituit & ligamentum cartilaginoſum in ſpõdylis, in pube in media iſchij cotyle, &cruris capite, & in medio genuũ articulo: ſed quæ ſpondylos committit cartilago in lumborum parte inferna, eſt ampliſſima ad flexionis & extenſionis magnitudinem. Quin & parte inferna vltimi lumborum ſpondyli in mulieribus paruis præſertim, magna eſt cartilago ligamentoſa: vt os ſacrum foras longiùs excurrẽs, locum det ampliorem fœtui. In iiſdem recens fœtis aut parturientibus, cartilago pubis oſſa connectens mollior eſt ac laxior: vt vi parua ſecando, facilè ſeparetur. Cartilago autem per ſe partem conſtituit in vtriuſque cilii tarſo, in quo ſunt palpebræ, & in epiglottide, in larynge toto, in totius aſperæ arteriæ bronchiis omnibus, in cordis baſi media; vnde arteria magna & vena arterioſa emergit. Quæ quidem cartilago in minoribus animalibus eſt mollior, in grandioribus durior, in maximis autem, vt elephantis, vel os planè eſt, vel oſſea cartilago, Sic nãque ob naturæ cognationẽ cartilago, ætatis aut temperamenti ſiccioris occaſione, in os degenerat: vnde

xiphoides Galeno nunc os,nunc cartilago,vti reuera habet:& acromiõ Hippocrati os, Galeno cartilago dicitur, quæ cartilaginibus per ſe partem facientibus accenſeri poteſt,vt quę articulis quibuſdam media velut innatare paulò antè dicta eſt,& quæ imo coccygi, & quæ imo naſo gemina, inſignior vtrinque appenditur, & ipſa auricula. Quòd autem cartilagines & ſecum, & cũ oſſibus, oſſiũ modo, etiã diarthroſi articulantur, oſtendunt quæ in imo ſunt naſo, quæ in coccyge imo, quæ in larynge tres ſunt,quæ in fine coſtarum ſeptem verarum.

Vſus cartilaginum duplex. Quin oſſa ipſa cartilaginum interuentu articulari antè probauimus. Ex his, cartilaginum vſus duplex præcipuus apparet:vnus,vt partes quaſdã læues ac politas, ad motuum promptitudinẽ efficiant,in articulis ſcilicet: alter, vt violẽtiæ foris occurſantium mediocriter cedant.

Lib. 11. vſ. par. Cartilaginis enim ſubſtantia maximè idonea ad tegendum,& defendendum partes ſubiectas.Non enim poteſt comminui & frãgi, vt dura,& friabilia: neque incidi, & contundi,vt mollia &

carnoſa. Vſus alios cum oſſibus communes, vt ſuſtinendi, fingendi partes appoſitas ex ipſarum natura & forma cogitãdos relinquimus. De cartilaginibus aſperę arteriæ ad extimos vſque lobos, & membranam pulmones veſtiẽtem, ſuam retinentibus naturam. Galenum audire ſatius eſt, quàm ex eo excerpta huc parum feliciter adſcribere.

SCHOLION.

Cartilaginem in cauo oculorum primus Anatomicorum Fallopius deprehendit, & ab vſu atque figura Trocleam nuncupauit: Nam canalem habet per quẽ fertur chorda muſculi oculum verſus magnum canthũ in gyrum voluentis: Ipſaque ligamento quodam membraneo ita ab angulo pendet vt trochleæ ſpeciem referat.

DE LIGAMENTIS.

CAP. III.

Ligamẽtum pars eſt corporis noſtri, ſimplex, poſt os & cartilaginem maximè terreſtris: & ob id ſicca, dura, frigida, quia etiam eſt exanguis. Hęc pars neruo eſt ſimilis, quoniam alba eſt ac ſolida, ſed neruus non eſt, quia peni-

Lib. 1 & 6 & aliis vſ. part. Ortus ligamenti.

tus ex ſe inſenſilis eſt, nec mouere quicquam poteſt: & neruo eſt multò durior, nec á cerebro, nec à rachitide naſcitur, ſed ab oſſe, vel cartilagine, vel oſſe cartilaginoſo, vel membrana: & in os, aut cartilaginem, aut muſculum, aut partem aliam inſeritur. Eſt verò id ligamentum ſpeciatim & propriè dictum, & cuius naturam hîc explicare ſtatuimus.

Ligamentū generatim ſumptum.

Interdū nanque generatim & abuſiuè ligamentum medicis latius patet, vt etiam quicquid in corpore alterum alteri colligat, ligamentum dicatur: ſic cutis reliquarū corporis partium eſt ligamētum, & per ſe, & membranarum, neruulorum, venularum, alicubi etiam arteriolarum interuentu. Per quæ eadem cutis ſubiecto adipi, membranæ carnoſæ, muſculis, & aliis propè omnibus internis partibus connectitur. Cęteræ etiam corporis partes, ſibi inuicem colligatę ſuſtinentur. Peritonęos quoque tunica diaphragmati, hepati, lieni, ventriculo, inteſtinis, renibus, veſicę, vtero, venæ tum portæ, tum cauę inferiori, arterię inferiori, epiploo, meſarçο cum lumbis ligamentum eſt: & ſubcoſtalis tunica pulmoni, cordi

pericardio, œſophago, venę cauę ſuperiori, aortę arterię cum thoracis ſpondylis. Et meninges cerebro, cerebríque partibus cum cranio & pericranio vinculum ſunt. Sic partes faciei, collíque omnes: tum ſibi, tum capiti ac thoraci copulãtur. Sic partes propè omnes cerebro, & rachitidi per neruos, cordi per arterias, hepati per venas colligantur: & rurſum cor omnibus thoracis partibus per tunicas thoracem mediũ diuidentes, à ſubcoſtali exortas, & pulmoni per arteriam venoſam, & venam arterioſam. Et faucibus copulatur pulmo quidem per aſperã arteriã, ventriculus autem per œſophagũ. Hepar quoque committitur per venam, portam quidem folliculo fellis, lieni, vẽtriculo, inteſtinis, meſarę o, epiploo, pancreis: per vmbilicam autem, & peritonęi portionem vmbilico: & in quibuſdã hominibus per membranoſa quædam vincula, tunicæ ſuæ & peritonęo communia, cum ipſo hypochõdrii dextri peritonæo, vti & quorundã lien cum ſiniſtro tum peritonæo, tum rene: & pulmonum tunica interdum cum ſubcoſtali, membranoſis compluribus

vinculis naturaliter cohęret. Veſica autem omnibus cum vmbilico, per vrachum, & arterias vmbilicas geminas alligatur: & vt ſemel finiam, partes corporis omnes ſibi continuæ colligantur, vel aliarum interuentu: vt ſit verũ, omnia oſſibus & perioſtiis per ſe, aut per aliud, cohærere. Id quoque ligamentorum genus, neruorum quos recipit beneficio, ſenſus tactorii propè totum eſt particeps: cum alterum oſſoſum ſcilicet, aut cartilaginoſum neruis ac ſenſu, vt dixi careat. De quo hæc ſufficiant. Ad propriè dictum ligamentum redeamus, quod articulos colligat, & tendones induit, conſtruit, munit. Ex ligamentis propriè ſpeciatimque dictis, quàmplurima ab oſſe in os inſeruntur, pauciora à cartilagine in cartilaginem, non pauca ab oſſe, vel cartilagine, vel membrana, in muſculorum capita tranſeunt. Quę ab oſſe in os inſerũtur, firmant partim articulos, oſſa ipſa extra articulos, partim tendones ipſos præſertim longos. Quæ articulos firmant, quædam ſunt tenuia, & membranoſa, vndique articulum cingentia, omnium articulorum communia: & ea

Ligamentum propriè dictũ.

nia: & ea craſſiora, tenuiora, robuſtiora, imbecilliora, pro partis mouendæ magnitudine, paruitate, & partis motuum robore, imbecillitate: quæ cum exploras, ſint æquè tenſa, vel æquè laxa. Nam laxitas craſſitiē, tenſio tenuitatem auget, & mentitur. Alia ſunt articulorum quorundam principalium, vel motus robuſtiſſimos obeuntium ferè propria, & ea communibus multò craſſiora, robuſtiora, & parte ſui maximè rotunda, hiſque articulorum partibus vel indita, vel ſuperdata: quibus ex motuum violentia, maius impendebat luxationis, vel affectus alterius periculum. Communia, circunſtant articulos, genæ infernæ cum oſſe temporali, ſpondylorum in ſuis corporibus, apophyſibus obliquis accliuibus, & decliuibus, coſtarum cum ſpondylis, & horum appophyſibus tranſuerſis, & cum ſterno, omoplatæ cum claui, & brachio, brachii cum cubito & radio, radii cum cubito ſupernè, & infernè, radii & cubiti cum carpo, carpi oſſium inter ſe, & cum pollice & metacarpio, & huius cum prima digitorum phalange, & primæ cum ſecunda, & ſecundæ

cum tertia: vt in quatuor digitis, ſic in pollice,& vt in manus totius partibus, ſic in fęmoris totius articulis omnib⁹: ſi magnorum articulorum, aut motus vehementes edentium craſſiora,& valentiora intellexeris, & contrariorum tenuiora& imbecilliora. Valētiora enim, quæ occipitis corona primi ſpondyli glenis iungunt. Ad hæc ligamentũ validum anticas omnium ſpondylorum partes adeò exactè colligat, vt pleriſque medicorũ ea parte coaleſcere ſpõdyli videãtur. Definit autem ligamentum hoc, parte quidem poſtica, in tunicam craſſiſſimã meningas duas rachitidis ambientem, antica vero, paulùm vtrinque progreſſa, inſeritur in cartilaginem ſpondylos iungentem. Spondyli enim omnes, præter primum & ſecundum, ſibi interſita cartilagine iunguntur, & membrana, omni villorum, ſed præcipuè rectorum genere prædita, à ſecundo ſpondylo ad vſque imum os ſacrum, obiter ſpondylorum medio inſinuata. Craſſa quoque & dẽſa,& dura, & valida, tamen membranoſa, quæ articulos brachii, cubiti, manus, cruris, tibiæ, pedis omnes ambiũt,

Lib. 13. vſ. part.

& manui internæ, & infernõ pedi craſſiora, dẽſiora, duriora, validiora quàm parti oppoſitæ ad actionis robur addita ſunt. Robore enim magno hi omnes articuli eguerunt: quapropter ligamenta etiam pternæ cum aſtragalo & vicinis oſſibus aliis, dura & cartilaginoſa, & partim lata, partim rotunda ſcribit Galenus: & tam valida, vt horũ quædã ſint νευροχονδρώδη qualia intùs in cotyle & genu interſunt. Valida etiam os ſacrum, & ilium, & oſſe pubis extrinſecus colligant. Ab oſſe item ſacro, & vicina oſſis ilium parte, ligamentum forte in ſpinam iſchii, & tuber. Hæc autem omnia articulorum ligamenta ex epiphyſeos cum oſſe commiſſura, non ſolùm ex ſuperciliis, & ſpondylorum radicibus naſci videntur in quibus epiphyſis eſt. Quò fit, vt quæ crus cũ cotyle ambiunt, ex cruris epiphyſeos ſymphyſi enata, quadãten⁹ deorſum ferãtur, & collũ cruris propè totum ambiant, priuſquàm ad cotyles ſupercilia referantur. Propria ſunt & craſſa, & ferè neruorum modo rotunda: vnum quod ſecundi ſpondyli dentẽ medio coronarũ occipitis interual-

Lib.3.vſ. part.

Communiũ ligamentorum origo.

12. vſus partium.

lo colligat: alterum illi tranſuerſum, à
13. vſus partium. dextra parte primi ſpondyli ad læuam,
quod primo ſpondylo dẽtem colligat,
& contra dentis duritiem rhachitida
munit: ipſum quoque articulum brachij cum omoplata, præter tenuia illa
& membranoſa articulorum ambitui
communia, confirmant quatuor: vnũ
latius à fine acromii in finem coracoïdis, alterum angûſtius, & breuius, à radice acromii in radicem coracoïdis:
duo reliqua quoniam muſculum brachii bicipitem bona parte conſtituunt,
in ligamenta muſculorum differantur.
Cubiti apophyſin ſtyloïde cum carpi
oſſa octauum ſuſtinente, ligamentum
ſimile confirmat: id os carpi cartilaginoſum colligat oſſi carpi ligamentum
rotundũ, de quo poſtea. Ligamentum
etiã à cotyles fundo propè toto, præſertim quà pubis foramen ſpectat rotundũ & validum, adipe interſperſum, tã
latum vt pubis foramen etiam attingat, paulatim cõtractius & rotundius in
medium cruris caput inſeritur: durum
adeò, νευροχονδρώδης dici queat. Ligamẽtum quoque alterũ eſt hoc firmãs prævalidum, in labro cotyles interno trãſ-

uerſum à ſpina ilium ſuperna, in ſummum os pubis ligamentum validum. Tibiæ cum crure diarthroſis parte externa ligamentũ habet robuſtum, & finem muſculi lati ſeu mẽbranoſi: interna autẽ tantùm lata, & tenuia omni articulo communia. Antica molam ſed tendonibus firmatam: poſtica denique communia. Ad hæc tibia cruri alligatur ligamentis tribus, præter mẽbranoſa illa & cõmunia, validis & rotundis: in genu namque interno ligamentũ paruum, rotundũ, ex canali inter condylos medio prodiens, in adipem genu anteriorem deſinit. Alterum cartilaginoſum ex reliqua canalis aſperitate, in tibiæ eminentem mediã apophyſin ſimile illi, quod à media cotyle naſci nuper dicebamus. Alia ſunt ligamenta cartilaginea vtrique tibiæ, cauitati vndique circundata: quæ inuicẽ coëuntia qua parte cauitatis tibiæ cõmittuntur, validius & cartilagineũ illud ligamentum producunt in canalem mediũ, quod inter duos cruris cõdylos inſeritur, totumque articulum in duas partes diuidit. Sub planta cuti cũ adipe ablata, ligamentũ latum & va-

Lib. 3. vſ. part.

Libro de oſsibus, & 2. admi-niſt.

lidum ab ima pterna, ramoſè oſſa in omnia primæ phalangis ſeſamoïdea inſeritur ad maximam pedis totius firmitatem. Ligamentum validum latum à baſi externa epiphyſeos pternę ad cyboïdes, & oſſis in pedio minimi proximi principiũ: alterũ illi ſubditũ, ſed exiguũ, à pternæ finę obliquũ in partem cyboïdi, & oſſa innominata. Ad ligamenta hæc articulorum propria referri poſſunt, tum illud quod acromion cõmittit, cartilagine vel oſſe cartilaginoſo auctũ, & firmatum: & quæ cartilagines mobiles articulos quoſdã intercedunt (de quibus antè) & tendones muſculorũ cruris anticorũ epigonatidem cõplexi, & ipſam tibiæ affirmantes, & qui pedẽ extendunt duo plantæ ſubditi, ad ſcaphoïdes & cyboïdes cartilagine ſibi implexa firmati: & qui alios articulos ambiunt, aut parte aliqua confirmãt: & quæ ligamẽta oſſibus ſeſamoidib⁹ augẽtur, & robuſtiora fiũt, vt capite primo docuim⁹. Ligamẽta quoque τένοντες id eſt tẽdonęs dicta, ſcolicoides dorſo gloutiorũ alligãt, li. 8. vſus partiũ: quorũ meminit Gal. lib. de ſanitate tuẽda. Ligamẽta ſpęciatim appel-

lata ex oſſe in os prodeuntia, ipſaque ambo oſſa ſine articulo firmantia, ſunt partim tenuia, partim craſſa. Tenuia radiũ cubito & peronem tibiæ quà interhiant hæc oſſa, vbique colligãt, & ſimilia his os pubis, & partẽ iſchij in foramine iungũt. Talia quoque ſpõdylorũ ſpinas colligant, à ſupernę ſpinę medio quodã canaliculo ſubiacente exorta, & in ſuppoſitæ ſpinæ velut lineã quandã à medio ipſius dorſo extantẽ inſerta, eas cõtinuãt tãquã vnũ os eſſent. Muſculos quoque dextros à ſiniſtris, aut anticos à poſticis, parteſque alias quaſdam eadem diſcriminant. Craſſum autẽ eſt ligamẽtũ, & neruosũ, & latũ, & durũ mediocriter, & forte ſuper cartilaginẽ in fine ſpinarũ plurimarum: per quod etiã omnes ſpondylorũ ſpinæ velut vnũ corpus efficiuntur cũ opus eſt, cooperante in id mẽbranoſo inter ſpinas ipſas medias ligamẽto nuper dicto. Valẽtia etiã & ęquè ppemodũ craſſa duo, à coccyge vnũ in iſchii tuber, alterũ in eiuſdẽ ſpinã inſerta. Nec imbecillũ quod interna cotyles labra (vt dixi) cõtinuat, & quod claues ſub ſterni vertice ſimul cõfirmat. Ligamenta hioydis lateribus cũ vicinis

Lib.1.vſ. part.& lib.part. q.dmmi.

eiuſdem partibus non ſolùm membranoſa, ſed etiam cartilaginoſa & rotũda, & cum vtraque apophyſi ſtyloïde produxit natura, & cum apophyſibus ſupernis duabus cartilaginis thyroïdis. Ligamentũ eſt rotundum, reuellens os carpi octauũ cartilaginoſum, nę à tendone carpũ flectente in id os inſerto euertatur. Ligamenta propriè dicta, quæ ab oſſe in os ſine articulo tranſeunt, & tendones firmant ac muniunt, & tutò tranſmittunt, præcipuę in imo cubito, & ima tibia, & digitorum tam manus quàm pedis parte ſima primæ, & ſecundæ phalangis. In cubito enim maximũ illud & robuſtiſſimum, quod ab oſſe carpi pollicẽ ſpectante, tranſuerſum ad os carpi minimũ digitum ſpectans fertur, annulo cuidam ſimile, ſub quo omnes tendones digitos, & pollicẽ flexuri tutò deſcendunt. Talia ſed tenuiora, minora, imbecilliora, tamen etiã tranſuerſa, in cubito externo ſeptẽ, digitos carpúmq; extẽdẽtibus, & in obliqua mouẽtibus tẽdonibus deſtinata; vnum tendonibus quatuor digitos totidẽ extẽdentibus, & idẽ cubiti & radii ſinẽ counectit: vnum

in fine cubiti oſſis commune tendoni- *Lib. 10. ad-*
bus duobus digitos paruos duos abdu- *miniſt.*
centibus. Alia duo affixa radio, quorũ
vnum tendones indicem & medium
abducentes continet: alterum eſt ten-
donis pollicem indici adducẽtis, aliud
in apophyſi cubiti, tendonem carpi
extẽſorem trãſmittit inſerendum imo
oſſi metacarpij: vnum alterũ carpum
extendenti tendoni, aliud validum ad
pollicem, per ſinum in imo radio ex-
culptum, tendones duos tranſmittit:
vnum in os carpi præcolatum pollici,
alterum in primum os pollicis. Qui ve-
rò muſculus toti radio affixus deſcen-
dit, tendone & ligamento tranſuerſo
caret: ſed deſinit cum radio in mem-
branæ naturam, prope ipſam radii cũ
carpo commiſſuram. Carpum verò fle-
ctentes tendones, ligamentum tranſ-
uerſum non habẽt in carpo ſimile præ-
dictis, ſed amplum & validum tegit tẽ-
donem carpi ſupernè flexorem, primi
in metacarpio oſſis principio inſeren-
dum, non in os carpi primum, vt appa-
ret. Talia pedis tendones muniunt &
amplectũtur; digitos extendentes vnũ,
pedem totum flectentem vnum, tibiæ

imæ adnatum ante digitum flexores magnos: duo tibiam pternæ intus etiã colligantia: vti vnum peronam tibiæ, alterũ eandem pternæ colligat & ſubiectos ei parti tendones. Ligamẽta vnguium ab oſſe digitorum vltimo nata, his addi poſſunt. His ampliora ſunt intus, in ſecũda pollicis phalange, & prima & ſecunda quatuor digitorum tam manus, quàm pedis: ſub quibus flectẽtes ipſas phalanges tutò feruntur tendones: & per quæ etiam phalãges ipſas flectunt, adiuuante non parum hanc flexionem ligamẽto paruo & tenui, ſed firmiſſimo, à fine phalãgum in partem tendonum propinquam inſerto. Hoc ligamentorum genus, quod tendones digitis alligat, membranã vocare poteſ duram, vel ligamentum membranoſum, vel tendonum ligamentum, velamen, tunicam. Hactenus ligamenta propriè vocata ex oſſe in os prodeuntia recenſuimus: nunc his ſimilia vſu, à cartilagine oſſis vicaria in cartilaginẽ ducenda. Hæc autem ſunt tenuia & membranoſa, in finibus coſtarum notharum, atque etiam verarum, quãdiu ſcilicet oſſium ſterni commiſſuræ per

Lib. 1. adminiſt.

Lib. 1. adminiſt.

Ligamentũ propriè dictum à cartilagine in cartilaginẽ

ætatem teneram ſunt cartilaginoſæ. Talia in imo fine coccygis, quandiu etiam eius oſſicula cartilagines adhuc ſunt. Huc referri poſſunt propè omnia articulorum communia, & etiam propria: quandiu animal molle adhuc eſt ac tenerum: quippe cui epiphyſes oſſiũ, extrema ad articulum formantes, ſunt adhuc omnes cartilaginoſæ. Talia cartilagines particularum hyoïdis diu cõtinuant, & cartilagines duas in arytenoïde inuicem connectunt, & cum innominata, & hãc cum thyroïde. Talia denique bronchia aſperæ arteriæ omnia colligant dupliciter: quædam ſcilicet ſingulorum fines committunt, & circulum abſoluunt, alia ipſorum latera, idq; non ſolùm in ipſo arteriæ aſperæ trunco, ſed ramis quoque omnibus per pulmonum carnẽ numeroſſimè diſtributis: quibus tũ cartilaginibus, tum ligamentis omnibus, tunica intus ſubtenſa eſt, & altera foris ſuperiecta, ſed hæc tantùm ad vſque pulmonis corpus exporrecta. Membranarum quoque cordis epiphyſes, & pericardios & arteriarum tunica, corporis ſubſtantia ligamẽto eſt ſimilis: ob id vt ligamẽtum,

Ligamenta ab oſſe in cartilaginē

ſic ipſa omnia oſſi cartilaginoſo, aut cartilagini in cordis capite, ſeu baſi conſtitutæ alligauit natura, oſſi quidē cartilaginoſo in magnis animalibus, in admodum paruis verò *νευροχονδρώδει τινι σώματι*. Ligamenta etiam ab oſſe nata in cartilaginem inſeruntur, vt cartilaginoſa duo & craſſa in genu: vnum à condyli interni radice interna in cartilaginem genu mobilem externo condylo deſtinatam, & in tibiæ apophyſin ſubditam. Alterum illi ſubditum multò craſſius etiam obliquum in mediam & cauatam tibiæ apophyſin. Ligamenta propriè nuncupata vel ab oſſe, vel cartilagine, vel membrana, procedunt in muſculorum omnium capita cum neruo, ad muſculi & tēdonis villorum neruoſorum robur, ipſa quoque in villos diuiſa: horum pars plurima, ab oſſibus ipſis muſculorum principio propinquis: quorum enumeratio & longa eſſet, & obſcura lectori myotomen adhuc ignoranti: pauciora ſunt à cartilagine vt duodecim laryngis propria. Quidam quoque thoraci, & rhachitæ, à cartilagine coſtarum & ſpinarum ligamenta habēt, à membrana non pau-

ci: vt, qui oculos mouent ſeptem, qui digitos adducunt lumbrici quatuor, & diaphragma à ſubcoſtali mediana. Nã quæ ab eodem duo in lũborum ſpondylos extenduntur ligamenta, alterius ſunt naturæ, & id firmant, quia non in caput, aut prope ipſum immittuntur. Duo autem maximè inſignia, in caput muſculi in brachio cubitum flectentis, quem ob id bicipitẽ appellamus, quorum ſuperius & rotundius à ſupercilio omoplatæ per ſciſſuram ſuper brachii caput deſcendit: alterum inferius & carnoſi⁹ à coracoïde proficiſcitur. Mediæ quodammodo naturæ ligamenta, inter illa tum generatim, tum ſpeciatim appellata, quædam ſunt partim ex oſſibus nata, aut cartilaginibus: (tamen non in os, vel cartilaginem, vel tendonem, vel muſculum procedũt,) partim aliunde nata. Ab oſſibus pubis ligamẽta naſcuntur gemina, ſed caua, & receptis inſignibus neruis ſentientia, vel nerui caui & cauernoſi dicenda maximam penis partem conſtituentia, & quib⁹ ſpiritu repletis penis riget. Sphincter ſedis ligamentum habet validum à tubere iſchii. Ab oſſibus quoque pu-

14. *vſ. par. lib. 6. vſus part.* bis ligamentum inſigne per ſinum oſſis ilium aſcendit, & communibus vteri ligamẽtis à peritonæo natis intextum, vteri cornua validè confirmat. Ligamenta quoque valida, intra cordis vẽtres inſerta, partim ex membranis venæ cauæ, & arteriæ venoſæ nata, partim ipſius cordis diaphragmati iniecta: quibus harum membranarum & cordis motus adiuuatur. Ligamentũ quoque moderatum linguæ & peni ſubnexum eſt, in quem verò vſum libri de vſu partium abundè docent. Ligamẽtum cum vmbilico, hepati quidem vena vmbilica occæcata, veſicæ verò tũ vrachus, tum arteriæ vmbilicæ geminæ, horum vnumquodque peritonæo confirmatum: à quo etiam multis hominibus membranoſa ſunt ligamenta hepati & lieni: vt à ſubcoſtali pulmonibus, à meningibus inter ſe, & à tenui in cerebri meandros à craſſa in cranij loca non pauca, ſed præcipuè in ſuturas, & pericranium tunicã: quæ etiam oculo eſt ligamentum firmiſſimum. Alium ligamenta docendi ordinem, Galeno in adminiſtrationibus anatomicis obſeruatum ſequi potes, vt par-

tium ligamenta ſimul omnia deſcribas: vt, brachii, cubiti, manus, cruris, tibiæ, pedis, ſpondylorum, & partium reliquarum: id quod hic etiam locis aliquot obſeruauimus. Ex his ligamẽtis propriè dictis, quæ quidem ab oſſe vel cartilagine, partibus non ſentientibus oriuntur, non ſentiunt: niſi horum quædam neruos acceperint, vt quę penem conſtituunt, linguam & penem firmant. Quæ verò ex perioſtio, membraniſque aliis ſentientibus oriuntur, ſentiunt: vti & quæ ligamẽta tendones ad articulos dilatati efficiunt: vt quæ in pterna, epigonatide, digitis, partibúſque non paucis ligamentorum vſum explent, ſentiunt. Quæ res impoſuit quibuſdam putantibus ligamenta vera nunc ſentire cùm neruos non recipiãt, nec à cerebro aut rhachitide oriantur, nunc non ſentire. Ex his perſpicuum eſt ligamentum ligare, munire, veſtire: qui tres ſunt ipſius vſus præcipui. *Lib.1.adm. anat.*

DE MEMBRANIS

CAPVT IIII.

MEmbrana pars eſt corporis noſtri ſimplex, lata, plana, tenuis ſed valida tamen, alba, & neruoſa, ob id ſentiens, & dilatari comprimiq; citra noxam habilis, ſine villis tamen magna ex parte. Hãc Græci nunc ὑμένα, nunc χιτῶνα, nunc μήνιγγα indiſcriminatim appellant. Nos membranam ſemper vocabimus, interdum tamen tunicam, cum partem aliquam veſtit: & quæ cerebrum foris integunt, priuatim meningas vocabimus. Hę porrò intra cranium ſunt duæ, tenuis & craſſa, à conſiſtentia nuncupatæ. Tenuis meninx cerebrum omne, anticum ſcilicet geminum & poſticum, atque ab his omnibus ortam rhachitidem totam, & neruos opticos, & alios cerebrales vndiq; per cranium conueſtit, & vaſis ſanguinis, quibus implexa eſt, nutrit & temperat. Propterea etiam in cerebri meãdros altiùs inſinuatur, & in ventres iiſdem vaſis intertexta, vbi choroïde mẽbranam efficit. Craſſa verò meninx tenui

Tenuis meninx quid præſtet.

Craſſa.

nui propemodum toti circumpoſita, vaſis etiam intertexta, & quà cerebrum dextrum à ſiniſtro, & vtrunque à poſtico cerebello diuidit, duplatæ ſimilis. Portiones ſui multas & magnas tum in craniũ, tum per cranij ſuturas in pericranium, & per oſſa ethmoïdea in nares pérque neruorum in cranio inferno foramina, neruis & toti rhachitidi veſtiendę & muniendæ impertitur. Pericranios membrana ex meninge craſſa, vt dixi, conflata totum cranium ambit, præterquam quà caput collo committitur: naturæ eiuſdẽ cum perioſtio, id eſt, membrana os vnumquodque propè totum ambiente, ſed nomen peculiare ob cranij præſtantiam ab eo eſt mutuata. Hæ tres membranæ in oculũ quoque feruntur, & in eo pericranio quidem fit cohærens, oculum foris ad iridem vſque integens & capiti affirmãs. Craſſa verò meninx fit dura oculi tunica, quæ antica ſui parte, iam inde ab iride, fit ceratoïdes: tenuis denique meninx fit χόροειδὴς ſeu ῥαγοειδὴς, quæ mox ab iride duram, cui toti tota hactenus inhæſit deſerens, ac intrò nonnihil exporrecta, ibique relicto forami-

Pericranios membrana.

Tres oculi mẽbranæ.

Cohærens

Ceratoides.

Choroides ſeu ragoides.

ne, quam vocamus pupillam, reflexa, & quadantenus duplata, in maximum humoris cryſtallini circulum firmiter inſeritur, tota hîc velut ſtriata ac imbricata. Nec hæ tantùm tres membranæ oculo à capite impertiuntur, cohærens vt dixi craſſa, ac tenuis, neruum opticum comitatæ: ſed ipſe etiam neruus opticus in oculi cauitatem ſimulátque incidit, tranſmutatus in membranam amphibliſtroïde, & retis modo vaſis intertextã, & humorem vitreum ambientem ac nutrientem degenerat. Atque etiam præter hãc, quinta eſt tenuiſſima, humorem cryſtallinum, principalliſſimum videndi inſtrumentum, vndique ambiens, & quæ ſplendida, terſa, quæ & tranſparens, ſpeculi modo obiecta repræſentat: vt illi humor cryſtallinus, quod vitro plumbũ, vel aliud opacum eſſe videatur. Eadem quoque pericraniós, priuſquã cohærentẽ oculi tunicam efficiat ſeu coniungentem, duplata & cuti ſubnexa cilium vtrumque facit, & oſſa faciei omnia, & genã infernã vbique conueſtit: niſi quà muſculos, aut recipit, aut emittit, fitq; iam ex pericranio perioſtios. Quæ verò pa-

Quarta oculi membrana amphibliſtroide dicta.

Quinta oculi membrana.

latum & oris partem aliquam ſubiungit à neruo quartæ coniugationis contexitur: vt quæ linguam veſtit, & ſapores diſcernit ab inſigni portione neruorum tertiæ coniugationis. Quæ verò reliquum os, & fauces, & epiglottiden, & laryngem, & aſperæ arteriæ reliquum intus ſubueſtit, eſt continua cum interna œſophagi & ventriculi tunica, tenuis, denſa, moderatè ſicca, villis rectis conſtans: alia verò membrana foris aſperam arteriam amplectitur. Nec ſola pericranios tunica eſt fœcunda, aliarúmque quamplurimarũ ceu parẽs, ſed etiã vtraq; meninx. Nam vtraque rhachitidem totã cõueſtit ac munit, ac præter eã neruos quoque omnes tũ à cerebro, tum à rhachitide ipſa exortos. Præter has verò meningas, tertia quædã mẽbrana craſſiſſima, ex ſpondylorũ ligamentis nata, intus eos ſubiungens, & meningas duas, totãque rhachitidẽ veſtiens: atq; cõtra motus violẽtos, & iniurias alias omnes tum internas, tum externas tutò cõmuniens. Foris verò ſpondylos omnes, vt oſſa reliqua pręter dentes, alia quędam valẽs mẽbrana veſtit, nata vel ex ipſorũ

Gal. comment. in li.6. Epid.

quoque ligamentis, vel ex pericranio huc vſque continuato, à qua ſubcoſtalis quoq; & peritonæos proficiſci poſſunt videri. Quapropter etiam Herodotus in lib. cui nomen eſt, Medicus, ſubcoſtalem, & peritonæon à pericranio naſci affirmat: ea ſcilicet per colli ſpõdylos ad metaphreni, & lumborum ſpondylos extenſa, & à thoracis ſpondylis ſubcoſtalem, à lumbaribus peritonæon producente, tunicas omnium quæ in toto corpore ſunt capaciſſimas, & quæ in partes plurimas ſunt diſtribuendæ. Siquidem ſubcoſtalis coſtas omnes, muſculos intercoſtales internos, phrenas, ſternum ſubiungit & ſubtegit: & tunicam largitur pulmoni, aſperæ arteriæ, vti & œſophago, externam pericardio, arteriæ magnæ aſcendenti & deſcendenti, & venæ cauæ aſcẽdenti, quandiu ſcilicet vaſa hęc per thoracem ferunrur: ſimiliter quoq; neruis tum à collo in phrenas, tum à cerebro in ventrẽ infernũ deſcẽdentib⁹.

Subcoſtalis tunica gemina.

Eſt autem tunica ſubcoſtalis gemina, dextra ac ſiniſtra: & vtraq; dum ſibi in medio thorace contigua eſt cohærens & vnita, à mediis thoracis ſpondylis, ad

mediũ ſternum fertur, thoracémq; in duas partes ęquales,dextrã ac ſiniſtram diuidit,ceu diaphragma quoddã,&paries medianus.Quà autẽ coſtas ſuccingit,ſimplex non eſt, ſed connata perioſtio coſtas ambienti, vt alia oſſa veſtire ſolet. Sic peritonæos omnibus ventris inferni partibus, tunicã largitur phrenibus,hepati,folliculo fellis, qua parte non tegitur hepate,lieni,ventriculo,inteſtinis,veſicę,vtero,renibus,vreterib⁹, venæ cauæ & arteriæ magnæ deſcendentibus, & vaſis ab vtraque ſpermaticis. Eadẽ quoque duplata, epiploon & meſaræon ramos portæ venæ vtrinque colligans, facit: illud diſſita, hoc vnita, ambo ex ipſius peritonæi baſi orta. Quinetiam parti coſtarum notharum, & muſculorũ epigaſtrij, præcipuè trãſuerſorũ, tum carni tũ aponeuroſi ſubtenditur. Epiphyſin quoque à ſe largitur vaſis ſpermaticis in teſtes cum neruulo & muſculo deducendis, & aliis ſperma efferentibus reducendis: quæ à colore rubro tum muſculi illius, tum vaſorum in ſe multorũ erythroïdes dicitur, teſtéſque ipſos vndique inuoluit ſua craſſiore propriáque tunica (quam

Lib. 8. admin. anat.

vocãt darton & epididymida) circumtectos. Cordis verò tunica tum externa ab ipſius baſi orta, tum interna ventrium parti attenſa non occupatę à mẽbranis, quas os venę cauę in cordis vẽtriculum dextrum, & os arterię venoſę in ſiniſtrum obtinet. Quinetiam ipſę membranarum epiphyſes in ore prędictorum vaſorum, & epiphyſes ſigmoïdes arteriæ magnę & venę arterioſę, membranarum numero ſunt accẽſendę: vti & tunicę vaſorum proprię, arteriarum quidem & venæ arterioſę duplices, vti œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum: venarum verò & arterię venoſę, ſimplices ſunt, vt veſicę vrinariæ, & bilarię, & vreterum, & vteri. Et muſculis omnibus ſuæ ſunt tunicæ, ex neruorum tunica exortæ: aut etiam ex perioſtiis ligamenta in muſculos deducentibus. Sunt & aliæ tunicæ tenues, & in multa ſectiles, per adipem partéſque alias nõ paucas corporis totius. Omniũ corporis mẽbranarum ampliſſima eſt

Cutis. cutis partium ſubiectarum tegumentum, munimentum, ornamẽtum: quãquam compoſita ſit ex neruo, carne, venulis, & alicubi arteriolis, ſed ante

cutim epidermis ſenſu deſtituta, ex cutis excremento producta, & toti cuti ſupertẽſa: à qua ſæpe citra dolorem facilè ſeparatur. Ambabus propemodũ æqualis membrana, cuti toti ſubiecta, interueniẽte tamen paſſim adipe quibus ineſt partibus, alicubi aſſumpta carne fit carnoſa & muſculus, vti oſtẽdit muſculus latus: alibi neruoſa tantùm eſt, & venarum ſubcutanearum vehiculũ: à cuti ſcalpello acuto curiosè ſeparanda, non digitis & vnguibus, ne violetur: quibus tamen à ſubiectis corporibus, vt membrana altera muſculos ambiente eam ſeparare poſſunt, quòd illis hæreat tãtùm per villos quàm aranearum fila tenuiores. Pudendo item muliebri ineſt cutacea quędã epiphyſis, nympha dicta, ad ornamentũ, tegumentum, munimentum vteri: qualis cutis epiphyſis eſt ſummo peni præputium. Membranæ præter has fœtus in vtero ſunt tres, duæ ipſum totum ambientes chorion & amnios, allantoïdes inter has anguſta hærens: chorion admodum craſſum, & duplex propriæ vteri tunicę toti intus ſubnexum: deinde huius parti paruæ ſubtenſa

Epidermis.

Tertia mẽbrana toti cuti ſubiecta.

3. admin.

Nympha.

Membranæ fœtus in vtero.

Chorion.

Amnios allantoïdes etiam duplex & ſuperten-
Allantoides lotium recipit, de quibus iterum 3. li. 3. cap. de vtero. ſa æquali parti amnij, quæ, vt allantoïdes, prætenuis & tranſparens eſt. Intra allantoïde fœtus lotium per urachum excernitur, vt inter amnion & fœtum ſudor. Quæ excrementa pariendi tempore excerni ſolent, membranis his à calcitrante fœtu ob tenuitatem rumpi ſolitis. Quæ res idiotis imponit putantibus has fœtum totum non ambire,
Hip. lib. de natur. fœtus.
quòd has etiam in fœtu mortuo in vtero ruptas, & plurimùm contractas ſæpe reperiunt. Membrana quoque eſt
5. de vſu partium.
quædam inſtar operculi, in vaſe paruo venam cauam fœtus cum arteria venoſa coniungente; quæ ad pulmonis vas arterioſum facilè euertitur: qualis gemina ad os eſt tum vreteris in veſicæ capacitatem, tum ſtomachi bilem excernẽtis in ecphyſin: quò ſanguis à vena caua in pulmones afluẽter excidat. Hæc mẽbrana natis occęcatur, & coaleſcit: interdum primo die à partu, interdum paucis pòſt diebus; cùm tamẽ eius totum corpus in vaſis cauitate ita pendeat, vt coaleſcere vnquam poſſe diffidas. Mẽbranę quoq; epiphyſis eſt in ore venę azygi, vaſorúmque aliorũ

magnorum ſæpe, vt iugularium, brachialium, cruralium, trunco cauæ ex hepate proſilientis, vſus eiuſdem cum membranis ora vaſorum cordis claudentibus. Ex his membranis, quædam villos habent: vt venarum, arteriarum, œſophagi, ventriculi inteſtinorum, vteri, ambarum veſicarum tunicæ propriæ, cutis, mēbrana carnoſa, tunica interna aſperæ arteriæ epiphyſes membranarum in orificiis vaſorum cordis, tunica tertia & extima rhachitidis: & harum quędam villorum genus vnum longum, tranſuerſum, obliquum, vel ſolū habent, vel præcipuum: quædam duo, alia etiam tria: vt clarius mox, & in ipſarum partium natura audies: aliæ villis carent, ſuntque in omnem partē papyri modo diuiduæ, & ſimplices, & vndequaque araneis figura ſimiles: vt meninges, pericranios, perioſtios, ſubcoſtalis, peritonæos, & quas ab his duabus naſci plurimas docuimus, & quæ tres fœtui ſunt deſtinatæ: licet harum non paucæ colligentur tum ſibi, tum vicinis partibus per villoſá quædam, aut membranoſa ligamenta, tum cuti, tum intercedenti paſſim adipi, tū muſ-

culis, aut partibus aliis ſubiectis. Quin & ipſa membrana alicubi carnoſa magis effecta fit muſculus: vt in muſculo colli totius & faciei lato.

DE VILLIS.

CAP. V.

Qui villi ſentiant, & qui non.

VIlli ſunt fila quædam oblonga, gracilia, alba, ſolida, valida, frigida, magis, minus, pro natura carnis ipſos ambientis: partim neruoſa, & eadem ſentientia: partim ligamentis oſſoſis in minima diffiſſis, quæ ſenſus expertia ſunt. Quæ duæ ſunt illorum præcipuæ differentiæ. Aliæ quoque à ſitu ſumuntur: à quo villi quidam recti, alii tranſuerſi, alii obliqui ſtatuuntur. Recti autem vocantur, qui ſecundum corporis eius cui inſunt, longitudinem feruntur. Tranſuerſi qui rectos interſecant ad angulos rectos æquales, vt in tela, & panno ſubtegmen, ſtamina. Obliqui amborum medii ſitu ſunt, & ambos ſi eidem parti inſunt (nam ſæpe vnicum genus parti ineſt) interſecant ad angulos inæquales, acutum ſcilicet vnum, & obtuſum oppoſitum:

Diſ. villorum à ſitu.
Villi recti.
Tranſuerſi
Obliqui.

quales ſunt frictionum differentiæ, & muſculorum octo epigaſtrii Galeno. Propria autem villorũ omnium actio, eſt ipſorum in ſe contractio: quæ pro vario villorum ſitu varium opus efficit. Nam recti attrahũt, tranſuerſi expellunt, aliqui retinent magis, ſed aliis duobus adiuti. Retentio enim fit ab omnibus villis ſimul contractis circa id quod continent: vt in ventriculo, veſica, vtero: ſic cor villis rectis per diaſtolen attrahit, tranſuerſis per ſyſtolen expellit, quieſcit & tractis fruitur omnibus ſimul contractis, ſed præcipuè obliquis. Villi verò cordis multò ſunt duriores & valentiores, quàm muſculorum, non ſolùm magis multiplices. Muſculis enim ſoli ferè adſunt vel recti, vel trãſuerſi, vel obliqui: nullis duo, aut tria ipſorum genera: quòd ipſorum muſculorum ſinguli, motus ſingulos ac ſimplices per ſe & primò edant: vt Galenus docet libris duobus de motu muſculorũ, & de vſu partiũ. Ad hæc muſculorum villi ſunt neruorum & ligamentorum particulæ: cordi autem & arteriæ, vt œſophago, ventriculo, inteſtinis, veſicæ vtrique, vtero propria

Villorum actio. *Attractio.* *Expulſio.* *Retentio.* *Villi cordis duri.* *Libro 1. tem.*

eſt ac innata villorum ſpecies. Villi autem inſunt inſtrumentis partim animalibus, vt neruis, horum coniugibus ligamentis, muſculis, tendonibus: partim vitalibus, vt cordi, arteriis: partim naturalibus, vt ęſophago, vẽtriculo, inteſtinis, venis, veſicę vtrique, vtero. Villis autem ferè obeunt inſtrumenta hæc actionem aliquam toti corpori cõmunem, vt animalia, motionẽ voluntariã: vitalia, caloris natiui cuſtodiam: naturalia, alimentum familiare, vel aliquid aliud cognatum trahunt: vt ventriculus, venæ alimentum: vterus ſemen, veſica bilaria bilem, vrinaria vrinã rectis villis trahunt (ſed villi recti inteſtinis quibuſdam ſunt ad tranſuerſorum robur, non tractũ ſtercoris) obliquis retinent ad tempus naturæ pręfinitũ, aut donec vel quantitate, vel qualitate, vel vtroque partes ipſas moleſtent, tranſuerſiſque tunc expellunt præcipuè, aliis tamen etiam id iuuantibus. Quatenus verò alimentum in ſuum corpus trahunt, idémque retinent, excrementaque propria expellunt, villis non egent magis quàm carnes viſcerum, oſſa, cartilagines, & partes alię tum ſimplices,

Villi inſunt partibus animalibus, vitalibus & naturalibus.

tum compoſitę. Villorum ſitus in muſculis qualis ſit poſteà in myotome audies, ac libris Galeni, vt dixi, de motu muſculorum, & vſu partium. In aliis autem inſtrumentis ſic habet: venæ, veſicę ambæ, vterus, in vnica ſua quæque tunica villorum genus omne ſortiuntur, ſed obliquos habent pauciores, ac cæteris miſtos, ita tamen, vt extimi ſint. Sic epiphyſes membranarum cordis, & tunica rachitidos tertia. Aliter autem vbi in duplici tunica genus villorum omne ineſt. Nam obliqui rectis miſcentur in tunica nunc externa, vt in magna arteria: nunc interna, vt in œſophago: nunc vtraque, vt in ventriculo. Oeſophagus enim tunica ſua externa, & ea carnoſiore villos habet tantùm tranſuerſos, interna verò eàque membranoſiore, tantùm rectos. Ventriculus habet omnino ſimiliter: niſi quòd vtraque eius tunica etiã obliquos habet, ſed omnino paucos. Contrà autẽ arteria magna: exteriore tunica eáque tenui, qualem venæ habent, villis conſtat rectis, & paucis obliquis: interiore autem, quę quintuplo craſſior eſt, villos ſolùm tranſuerſos eſt ſortita. Ar-

Lib. 3. facul. natu.

Arteriæ magnæ villi.

teria venoſa venarũ, vena arterioſa arteriarum naturam, quod ad villos attinet, imitatur. Inteſtina omnia propria vtraque tunica, villos habent tantùm tranſuerſos, in circulũ omnino circũactos: rectos autẽ in ſua tunica externa paucos aliquando fines ilei habent, plures colõ per cellularum interualla, plures quàm tranſuerſos rectum. Cutis quoque tota villos quoſdam à partium ſubiectarum neruis productos recipit, quibus cũ partibus ipſis connectatur & ſentiat: non autẽ proprios, & ſibi deſtinatos inſignes neruos recipit, vt muſculus, & alię quędam partes ſed tãtùm neruorũ propagines, quia ſenſu tãtùm egebat, non etiam motu.

Cutis villi.

Quanquã in has propagines multas, multis cutis partibus latè diſtribuẽdis, etiam nerui quidam inſignes abſumũtur, vt in neurotome audies. Sanguini quoque ἶνας ſeu villos ineſſe, & ob horum frigiditatẽ ipſum coagulari, ſcribunt Hippocrates, libro de carnibus, & Ariſtoteles, libris hiſtorię animaliũ paſſim, vel hoc argumento, quòd cui ſanguinis ſunt hi villi vel adempti, vel à natura negati (vt damarum, ceruorũ,

Sanguini inſunt villi.

camelorum ſanguini) ſanguis ille nunquam à frigido concreſcet: tamen hepatis carni ſanguinis fonti, vti & pulmonum, lienis, renum, villi deſunt: ſed villis ſingulis vaſorum rectis trahere, obliquis retinere, tranſuerſis expellere videtur. Villi denique & velut τρίχες id eſt capilli, in renibus quorundã prçcalidis ab humore craſſo gigni, & per vrinas excerni ſolent. Quidam quoque in dorſo infantum ſetç ſimiles, lethaliter interdum enaſcuntur, vt Antonius Beneuenius obſeruauit: prçterea pili in corde Ariſtomenis Meſſenij, hominis aſtutiſſimi, authore Valerio Maximo, deprehenſi ſunt. Quos ſi ad pilos potiùs, quàm villos referre velis, manum non verterim. Nec omittendum quod quanquam meninges & ſubcoſtalis, & peritonæos tunica, & quç ab his naſcũtur villis careant, tamen cum vicinis partibus alligantur, vinculis partim villoſis & neruoſis, partim membranoſis.

Aph. 75. lib. 4.

DE CARNIBVS.

CAP. VI.

Caro quid
Lib. 2. tēp.
In fine libri 10. & principio 11. meth.
Primū carnis genus.
Lib. 1. vſ. part. Libro 3. meth.
Lib. 1. temp. Li. 2. temp.

CAro eſt pars corporis noſtri ſimplex, mollis, nunc villis prædictis muniendis & nutriendis circunnaſcēs, nunc in aliud vtilis. Ea porrò triplex in corpore noſtro inuenitur: vna eſt rubicunda, villos muſculorum neruoſos & ligamentoſos vndique complexa, contra caloris interni impetum ac vehementiam, & externorum, calorem, frigus, duritiem hos muniens ac fouens, nutriénſque: hęcque ſola, quæ muſculis ſcilicet ineſt propriè carnis nomine cùm abſolutè pronunciatur, venit, ex ſanguine mediocriter ſiccato & gignitur, & in vlcere cauo regignitur. Ob id caro pars multi ſanguinis, & calida dicitur: vnde & corpulētia, ſiue carnis abundantia, ex ſanguinis copia naſcitur. Hęc caro partem plurimam animalium ſanguine pręditorum conſtituit, quantum ſcilicet eorum eſt muſculus (qui ob id caro Hipp. dicitur, vt in muſculis audies) quæ in ills maxima turba eſt: ita vt muſculis

de cor-

de corpore ſublatis, oſſa propè ſola relinquātur, non in quadrupedibus tantùm, ſed & in volatilibus, & natatilibus. Quanquam horum, & multarum auium caro frequētius albicat, vti & vitulorum, propter ſanguinis vel aquoſioris, vel aliter attemperati naturam. Ad hanc quoque carnem reducenda eſt, quæ in gingiuis, in glande penis, intus in digitorū radicibus, finibus medijs & lateribus, & cuti ineſt. Ea enim cutis, eſt velut ſanguine prǫditus neruus, ſeu inter neruum, & carnem quiddā planè medium, ac ſi ex miſtis vtriſque conſtitueretur. Sic prǫdictarum partium velut miſtum quid ex neruoſa, & carnoſa ſubſtantia: quomodo & mēbrana carnoſa cuti propè toti ſubiecta. Quin & plantis ipſis circa lignoſos, ac velut neruoſos villos ſuam quādam carnem Theophraſtus tribuit. Tu quoque in ferro rubigine exeſo carnem contabuiſſe, villos ob duritiem reſtitiſſe deprehēdes: ac modo eodē in lapidibus carie exeſis. Hāc ipſam propriè dictam carnem malè putauit calūniator, in muſculis eſſe motus voluntarij authorem, primariumque inſtru-

Auium caro, & vitulorum albicat.
Lib. 1. vſ. part.
Li. 2. temp.
Plantis ipſis ſua caro adeſt.
In ferro etiam caro.
Calūniatoris lapſus.

mentum: deceptus carne viſcerum propria, quæ actionis ipſorũ naturalis cauſa eſt. Sed hic ſuum errorẽ poſtea agnouit, & à carne iſta ad villos neruoſos motus voluntarii cauſam, vt debebat, retulit: vt in ſuarum calumniarum depulſionibus abundè probauimus. Carnis genus alterũ huic finitimum ſed tamen diuerſum, villos rectos, tranſuerſos, obliquos cordis, ventriculi, œſophagi, inteſtinorum, veſicę vtriuſque vteri, & ſi qua ſunt alia, his villis cuique propriis prędita ambiens, & his circũhęrens ac circũnaſcens, & eos muniẽs contra caloris natiui furorẽ omnia populantem, atque etiam contra æſtum, frigus, & cætera foris occurſantia. Ob id ad hoc, & primũ genus carnis in iuuene bene carnoſo, ęſtate media, frigidę aquæ multa perfuſio, & tuta eſt, & calorem ad cutim reuocat. Contrà autẽ qui ſunt graciles, & hoc genere carnis vtroque deſtituti, calorẽ natiuo hac frigidæ multa perfuſione extincto, moriuntur. Eadẽ de cauſa Galenus frigidę potionẽ in ſynochis, etiam poſt humorum coctionem, negat gracilibus multùm (quòd carnoſum genus nõ habeãt

Alterũ carnis genus.

Aph. 12. lib. 5.

Gal. ibid.

Lib. 9. Meth.

aquæ frigiditatē fractūrum) ne villos *Lib.10. Meth.*
iſtos naturę baſes præſtātiſſimas offen-
dat. Eadem ratione non permittit he-
cticis frigidæ potionem, & balneum li-
cet ſaluberrimum indicatione ſumpta
à febri, affectione calida ſicca, remediū
frigidum humidum, ſeu aquam ipſam,
poſtulante. Quanquam verò membra-
nis aliis villi non ſint, tamen his quan-
dam carnē propriam negare non poſ-
ſumus, cùm ſanis & bene nutritis mē-
branæ huiuſmodi ſint habitiores, &
corpulentæ magis: attenuatis verò ſeu
morbo, ſeu ratione alia, ſint tenues
magis. Quod & Galenus innuit carno-
ſam ſubſtantiam cuique parti ſuam at- *Initio*
tribuens, quæ magnitudine variat, etiā *Lib.11. Meth.*
ſi prętereà animans non augeatur, cum
ſubſtātia verè ſolida ex ſemine genitali
condita, iis quidem qui inaugentur nu-
mero par maneat, cæteris etiam quan-
titate: ſpirituoſa verò ſemper tum au-
geri, tum minui poſſit. Quanquam eo
loco carnoſa ſubſtantia non ſecundi
huius generis tantùm ſed etiam primi
& tertii intelligenda ſit: quòd hæ om-
nes, vt qualitate ſeu temperamento, ſic
quantitate tota vita ſint mutabiles, vt

nunc augeri, nunc minui poſſint à ſumendis, admouendis, educendis, faciendis, ſed in latum & profundum, non etiam in longum, niſi ad iuſtum partiũ incrementum. Tertium ac vltimũ carnis genus eſt propria cuiuſque viſceris ſubſtãtia, quam Eraſiſtratus παρέγχυμα, quaſi affuſionem, alluuiemq́; dicas, appellat: quæ viſceris cuiuſque actionis eſt cauſa. Talis eſt cerebri, pulmonum, hepatis, lienis, renum caro, ſeu id totũ quod venis, arteriis, neruis, ſtomachis, præterea folliculo fellis quidem ab hepate, vreteris verò à rene ademptis, reliquum manet. Cordis verò caro qualiſnam ſit prius eſt dictum, villis ſcilicet circumnata, non ſimiliter vaſis circũnfuſa & circunhęrés. Per hanc ergo carnem cerebrum animalem ſpiritum elaborat, pulmo aërem, hepar chylum & ſanguinem, lien craſſum & fæculentũ ſanguinem trahit, & ſibi concoquit: renes ſanguinis portionem ſibi nutriẽdis idoneam & lotium, quod veſicæ mox tranſmittunt. Caro hęc omnis ceu ſtœbe quædam, & fartura tum viſcerum vaſa firmat, & ſpacia horum media opplet, tum villos ipſos tam muſculorum

Tertium carnis genus.

Lib.12. vſus par.

Carnis viſcerũ vſus.

quàm partium aliarũ, quibus villis vndique circumiecta eſt, munit & roborat: ne hi facilè contundãtur, aut rumpantur. Adhæc contra frigus & æſtum hæc omnia defendit. Cadẽti enim aut cubanti caro fit ſubſterniculum molle, dum vero contunditur, fit operimentũ penicillis ſimillimum, cùm vulneratur propugnaculũ, contra frigus calfacit, contra æſtum eſt vmbraculum.

DE GLANDVLIS.

CAP. VII.

GLandula, pars eſt ſimplex, ſæpius rara, & mollis ſpongiarum modo, ſed friabilior. Ob id glandulas corpora eſſe ſpongioſa ſcribit author libelli de glandulis, quẽ Hippocrati malè attribui teſtatur Galenus, cõmẽtario primo in librũ de articulis. Multò enim alius erat liber Hippocrati, περὶ ἀδένων, ſeu de glãdulis ſcriptus: & idẽ iam inde à Galeni ætate deſideratur: glandulas tamẽ quaſdã ad fauces παρίσθμια vocari ſcribit initio lib. 4. Epid. Hippocrates, aut Theſſalus eius filius, cui librum hunc vti ſecundum & ſextum, tribuit Gale-

nus libro 3. diſpnœæ.

βάλανος autem, id eſt glans, vel glandula, dicta eſt quoniam glandem figura referre ſoleat. Vſus autem glandularum ad humores ſcilicet ebibendos, quem ſcribit ille author libri de glandibus, quibuſdam conuenit, & fortaſſe omnibus: ſed non eſt ille ſolus: nã glandularũ genus, & vſus duplex eſt. Quę-dam enim denſę, & ſiccæ ſublimem vaſorum diuiſionem firmant, ne rumpã-tur & findantur. Aliæ autem raræ, humidæ, lacte, ſemine plenæ, vel pituitoſo quodam & viſcoſo humore partes alias irrigant: vt quæ ſunt in meſenterio, inteſtina: quæ in faucibus & ſub larynge, fauces & aſperam arteriam: & hæ venas & arterias recipiunt. Galenus ex Marino, & lib. 2. de ſpermate cap. 15. Imò venas & arterias ſolùm recipiunt hæ glãdulæ, quæ ſuccos animanti vtiles gignunt, ſed etiam neruos: cùm aliæ quę diuiſionis vaſorum ſtabilimenta ſunt, neruis careant, & ob id & ſenſu & motu voluntario. Glandulæ enim quædam actionem habent nobis ad vitam, aut felicius viuendum idoneam: vt in faucibus ſaliuares, in mammis la-

ctificæ,in ſcroto teſtes ſeminis genitores: quędam vſum tantùm habent, & eum multiplicem, vt pòſt audies,& illę, vt dixi, acceptis neruorum propaginibus ſenſificæ, & facultate naturali qualibet robuſta præditę. Hę ſenſu tactus vt neruis carent,& facultatibus his naturalibus ſunt imbecillis. Vſumque habent præcipuum hę & conſuetiorẽ, vt vaſorum præſertim ſublimium per amplas capacitates cũ ſolis mẽbranis delatorum diuiſionem muniant & firment,ne motibus violentis rami à vaſorum ceu truncis diuellãtur. Qua fine etiã plantis omnibus,quo loco brachiãtur,&in ramos findũtur,natura ceu car nẽ aliquã largiorem deſuper impoſuit, hui' diuiſionis firmamẽtũ. Hac de cauſa conariõ, thymus, & quæ in omento poſteriore,&toto propè meſaræo cõſiſtunt,factę ſunt. Ad tutiorẽ quoque vaſorũ diuiſionẽ collo,axillis, inguinib', cubiti curuaturę&popliti,&partib' aliis quibuſdam additæ ſunt,his maiores, aliis minores. Alios aliarum vſus poſteà obiter audies, non quòd hic partium vſus tractare ſtatuerim,abſolutos à Galeno libris de vſu partiũ:ſed quòd

Ordo glã-dularum.

in glãdulis ad earum naturam vel craſ-ſa minerua dicendam, vſuum memi-niſſe ſit neceſſe. De glandulis commu-nia hæc pauca præfatus, particulatim ſingulas paucis perſtringam hoc ordi-ne, In cerebro duę ſunt, vna κωνάριον di-cta, quòd κώνῳ, id ęſt pineæ nuci figu-ra ſit perſimilis, à baſi ſcilicet lata in mu cronem faſtigiata, quæ gloutiis innixa, vaſorum in ventres diuiſioni tutæ, ac diſtributioni præſit. De vſu alio, in lib. de vſu partium. Altera inter κλινοειδᾶς apophyſes, ſub meninge craſſa, ſuo fo-ramine medio pituitã per ſphenoïdis ibi tenuiſſimi foramina ex choana in ſubiectũ ſinum geminũ, & inde in pa-lãtum & nares tranſmittens. Vſum aliũ in lib. de vſu partium audies. Aliæ ſunt permultæ ab auribus ad claues, iugu-larium tum internarum, tum externa-rum, & arteriarum carotidum firman-dis diuiſionibus deſtinatæ. Duæ (qua-tuor Herodoto) in faucibus intimis, ad œſophagi initiũ, ſeu ad iſthmũ, & cõ-munẽ œſophagi, & aſperę arterię duorũ velut mariũ parietẽ, inter laryngẽ, ſci-licet ac palati foramina; glãdib⁹ & amy-gdalis purgatis ſimiles; quas παρίσθμια

(vulgus amygdalas) vocat. Duæ item ad laryngis radicem, aſperæque arteriæ initium, vtrinque vna: quæ interdum ob magnitudinẽ in vnã abire vidẽtur. Duæ etiam interdum œſophago ſubſtratæ ad primã aſperæ arteriæ in thoracis initio diuiſionẽ: & hæ ſaliua craſſa, lenta magis, minus, œſophagũ, aſperámque arteriam, & oris partes omnes irrigando, ſiccari prohibent, pituitámque ex cerebro delabentem, vt reliquæ propè omnes abſorbẽt & ebibunt ſpõgiarum modo: ne in pulmones, & ventriculum, & partes alias magno noſtro incommodo irruat. Thymus ſub ſummo ſterno in nuper natis animantibus ob vaſorũ ex mollicie imbecillitatem eſt maximus: increſcentibus autẽ, quia vaſa per ſiccitatem fiunt firmiora, decreſcit, ita vt vix eius veſtigium in iuuenibus appareat. Sunt & glandulæ multæ per membranas thoracis capacitatem in duo diuidentes. Quę omento poſteriori ſub ventriculo inſunt plurimę, & quę toti propę meſenterio iam inde ab ipſius medio interſperſæ ſunt, vaſorum ibi ſublimium diuiſionem firmant, & humore lento & pituitoſo in-

Lib. 3. aliment.

teſtina irrigant. De glandulоſa pylori ſubſtãtia in quibuſdam animalibus, in lib. de vſu partium dicemus. Proſtata glandula eſt inſignis inter veſicam virilem, & colli veſicæ Sphincterem ſita, antè & pòſt cõpreſſa, lateribus autem in rotundum eminẽtioribus, meatum vrinæ & ſemini communem incœptura & irrigatura, in eúmque vaſa ſemen deferentia ex teſtibus immiſſura foraminibus poſticis, propinquis quidem, ſed tandem in caruncula quadam eminente in vnum coëuntibus. Teſtes glãdibus accenſet Galenus, eáſque ſemini perficiendo deſtinatas probat, vti & renes nonnulli glandes pronunciãt, imo & cerebrum ipſum totum, quia molle & friabile, glandibus annumerat qui librum ſcripſit de glãdulis. In extremo etiam pene glans eſt, aut caro glandoſa ſeu glans carnoſa: ob id glandibus aut carnibus attribui poteſt, vt gargareon. Glandulæ in mammis mulierum ſunt plurimæ & maximæ, præſertim dum lac habẽt, puellis enim iunioribus, vti & viris, minores ſunt & duriores. Et quando lacte carent, contrahũtur & denſantur, fiúntque ſimiles ſpongiis

Lib. 3. aliment. Lib. de vſ. part. 14.

Lib. 3. aliment.

σκέλετευομένοις, id eſt, vinculo circundato contractis, & coactis, vt humor omnis exprimatur.

DE PINGVEDINE. CAPVT VIII.

Τὴν πιμελὴν, id eſt, pinguedinẽ καὶ τὸ στέαρ, id eſt adipẽ, ambo quidẽ oleoſa Græci interdum ſeparãt, quòd illa ſit humidior, oleo vetuſtate longa incraſſato ſimilis ex animalibúſq; humidioribus, vt ſue, oue plurima: hoc ſit craſſius multò & ſiccius, & ob id fuſa ſolet difficiliùs concreſcere, promptiùs ex terroſis magis animalibus, vt bubus, capris plurimum: interdum confundunt, & nunc de hoc, nunc de illa nomen vtrunque indiſcriminatim pronunciant: & nos hanc ſubſtantiã, nunc adipem nũc pinguedinem vocabimus. Adeps fit ex ſanguinis portione pinguiore & tenuiore & aërea magis, per tenues vaſorum præcipuè venarum tunicas euaporante, & à partiũ exanguiũ, ob id frigidarum vt multarum membranarum contactu, coacta & cõcreta, & affuſa ſiccis corporibus & tenuibus,

Ibidem.

Lib. 11. ſimpl.

Adeps vnde.

Lib. 16. vſ. part.

vt ipſa perpetuò pinguedine natiua humectet: ne in diuturna inedia, aut vehementi labore, aut à calore immodico ſiccefcant & durentur. Quoniã igitur à frigido concreſcit adeps, à calido ſoluitur & diſſipatur, & quæ animalia ſanguinem habent etiam mediocrem, quò frigidiora ſunt eò pinguiora euadũt: ob id mulier viro eſſe ſolet obeſior, quòd ea ſit viro imperfectior ſeu frigidior: vt probat Gal. lib. 14. de Vſu part. Contrà verò circa cor & internum pericardium, & arterias, & hepar, & venas, & partes alias præcalidas pinguedo non coït, aut ſaltem pauca, & dura. Peritonæos eſt adipoſa, quà ventriculum & lumbos attingit, fundum quoque vẽtriculi quibuſdam intus eſt adipoſum inteſtinorum modo. Intra cranium tamen adeps non concreſcit, etiã ſi frigidum id eſt, & membranis duabus circundatũ, & paſſim intertextum tenui meninge ac etiam intra ventres, choroïde. Fortè quòd membranæ hæ vaſis ampliſſimis & ſanguine plurimo calidiſſimóque ad cerebri frigiditatem temperandam repletis abundant: aut quòd intra ventres & totam cerebri

ſubſtantiam ſpiritus animalis (quæ res eſt puriſſima, tenuiſſima, planè ignea) eſt plurimus: aut quòd vaporum excrementoſorum à toto corpore in illud elatorum copia, prohibetur adipis generatio. Adhæc cerebrum quamuis eſt frigidum, aëre tamen æſtiuo & meridiano eſt calidius, minus tamen calet quàm cor, omnium quæ in nobis ſunt calidiſſimum, cui adeps accreſcere ſolet. Sed nec cerebrum ipſum adeps eſt, licet adipi & colore & conſiſtentia ſimile ſit, tamen adipe minus eſt humidum, neque calfactum liquatur, vt omnia à frigido concreta. Imo cerebrũ Hippocrati, quia minimum habet pinguedinis, plurimum verò κολλώδεος & glutinoſi, à calido exuri nõ poteſt. Mẽbranis teſtium eadem ex cauſa non adeſt, vt nec pericardio, nec ligamentis articulos ambientibus aut tendones. Cæteris propè partibus adeps accreſcere, & allini ſolet, modo animal probè nutriatur: vt ſanguinem bonum habeat largum, vel ſaltem moderatum. Hinc muſculorum non modò membranæ ambientes, ſed interna quædam ſpacia ſunt adipoſa: & linguæ propria

Libro de carnibus.

cato in obeſis animalibus adipe interlinitur, & ventriculo quoque interno adeps, vt inteſtinis præſertim craſſis, ſæpe etiã foris in iiſdẽ craſſis animalibus accreſcit. Plurimus tamẽ internæ ſub cuti membranę (quam in facie & collo carnoſam, alibi neruoſam & exãguem eſſe conſtat) adnaſcitur in toto corpore, ſi frontem & ſcrotum exceperis: nec parcior inter duas meſaræi tunicas ſæpe naſcitur, vti & duabus omẽti membranis paſſim agglutinatur, è regione ſcilicet vaſorum: non autem medio inter ipſas ſpacio, & membrana planè tenuiſſima, ſed denſa tegitur: ita vt nec cultello deradi, aut fuſa effluere queat, niſi fracta prius araneoſa hac membranula etiam vaſa tegẽte. Hic verò adeps, & ſi quis partibus aliis adnaſcitur, cauſam generationis quã diximus habet. Eo autem, vt carne, abutitur natura ad partium ſubiectarũ tutelam, non modò contrà foris occurſantia, æſtum, frigus, quaſſantia: ſed etiam continẽdum diutius calorem natiuũ coctionis authorẽ. Alia eſt adipis ſpecies hac multò craſſior & durior, partib⁹ diutius aut valentius mouẽdis interſita nunc ſola,

Lib. 1. temp.

nunc cum humore craſſo & lento, qui in multis quoque articulis & ligamẽtis articulorum & tendonum, & ſub membrana carnoſa, & alibi paſſim munus adipis explet, hoc eſt, partes atterendas illinit, & moueri promptiores reddit, ac ſiccari prohibet. Talis eſt adeps ſub oculo plurimus, & paulò ſolidior: talis in cotyle & genu, adeps quoque durior in media renum cauitate. Spondyli quoque omnes à connexione, quam parte anteriore habent retro progreſſi, paulatim à ſeſe diducuntur, locum verò mediũ omnem refertũ habẽt humiditate craſſa, viſcoſa, alba, ſimili ei quæ per alios propemodũ omnes articulos eſt diſperſa. Quę humiditas partibus omnibus expeditè mouendis eſt cõmunis. Tunicæ item rhachitidis tertiæ humor viſcoſus circunfunditur, vt tunicę ſpondylos colligãti, & articulis omnibus, & linguę & laringi, & meatui vrinario, & oculis pinguedo, in ſumma omnibus quæ moueri aſſiduè oportebat. De humiditate illa meatum vrinariũ, & eundem ſeminalem irrigante, & alio ſimili in muliere, Gal. lib. 14. vſus partium abundè agit.

Lib. 13. vſ. part.

Ibidẽ multò põſt.

De medulla.

Caput ix.

Medulla, pars eſt corporis ſimplex, humida, mollis, pinguis, dulcis, neruorum, ob id ſenſus expers, familiare oſſium alimentum. Quapropter in magnis oſſium magnorum cauitatibus continetur, in paruorum autem cauernulis (quæ etiam magnis inſunt plurimæ) humor albus, proprium cuique ipſorum alimentum. Fortium verò & ferorum animalium oſſa, vt ſint robuſtiora, cauitatem & in ea medullã aut nullam, aut omnino exiguam habent. Contrà verò manſuetorum & imbecillorum oſſa, multùm & caua ſunt & medullata. Gignitur hæc medulla ex ſanguinis parte craſſa, in oſſium magnorum quidem cauitates per venas inſignes illapſa: in paruorum verò cauernulas exilibus venis in ipſa, aut perioſtios membranas deſinentibus. Sic & lumborum ſpondyli intus ſunt foraminulenti, vt venas ſui nutrices recipiant. Hæc autem medulla eſt propriè appellata. Quæ verò μυελὸς νοτιαῖος, & ραχίτης

Lib. II. vſ. part.

Oſſa animalium ferocium ſolida.

Medullæ origo.

Gal. lib. de oſſibus.

ῥαχίτης vocatur, malè nomen id medullæ accepit, ob id ſolùm quòd in oſſibus nempe ſpondylis contineatur, & colore ſit medullæ ſimilis: iiſdẽ ex cauſis & cerebrum quandam eſſe medullam putarunt, cum tamen propriè dicta oſſium medulla ſit dorſali & cerebro humidior, mollior, dulcior, pinguior, iucũdior. Omnia tamen hæc liberalius ſumpta, ſunt nauſeabũda. Cæterum de dorſali medulla & cerebro poſteriùs agã fuſiſſimè. Eſt præterea in gena inferna, & amplior in ſuperna, è regione molarium humor albus, craſſus, glutinoſus, eorum dentium familiare alimentum ibi à natura ſepoſitum, ex vaſis cum neruo tertiæ coniugationis deſcendẽtibus. Adhęc in cauitatibus amplis ad ſuperciliorum interualla, in oſſe frontis inferno materia glandulis perſimilis multa eſt collecta, quę olfactum iuuare videri poteſt. In corrigeris autem animalibus, multò ampliores ſunt hæ cauitates cornuum cauitati continuæ ſimili materia plenæ, quã vaſa per foramen oculo propinquum in oſſe frontis nutrit, & auget ac recreat.

IN HIPPOCRATIS ET GALENI LIBROS

anatomicos Iacobi Syluij rei medicæ apud Parrhiſios interpretis Regij Iſagoges anatomicæ.

LIBER II.

PROOEMIVM.

NOminibus nouis in quibuſdam partibus præcipuè venis,arteriis, neruis,muſculis luſimus,Hippocratem Galenúmque imitati, ad orationis breuitatem ſimul & rei perſpicuitatẽ. Quibus ſummis medicinæ parentibus ſi in mẽtem veniſſet dictarum partium ſaltem inſigniores propriis nominibus à ſubſtantia,vel accidente aliquo rei propinquo,aut etiam remoto ſumptis donaſſe (quod in aliis quibuſdã facere non ſunt grauati) hoc labore caruiſſemus. Oſſa ſiquidem propè ſingula, & oſſium partes quamplurimas, atque adeò oſſium cõmiſſuras, & quorundam oſſium cõ-

geries nominibus idoneis diſcrimina-
uerunt: qualia ſunt oſſium quidem ip-
ſorum, μέτωπον, βρέγμα, ἰνίον, σφηνοειδὲς,
λιθοειδὲς, σπόνδυλος, ὠμοπλάτη, κλεῖς, βρα-
χίων, κερκὶς, πῆχυς, πλευρὰ, ὀστοῦν ἀνώνυμον,
μῆρος, ἐπιγονατὶς, κνήμη, περόνη, ἀστράγαλος
πτέρνα, κυβοειδὲς, σκαφοειδὲς, σησαμοειδὲς.
Partium verò in oſſibus hæc, κεφαλὴ,
κόνδυλος, αὐχὴν ἢ τράχηλος, κοτύλη, γλήνη,
ἀπόφυσις, ἐπίφυσις: & vtriuſque harum
nomina quamplurima, μαστοειδὴς, στα-
φυλοειδὴς, ἢ στυλοειδὴς, ἢ βελονοειδὴς, πτερυγο-
ειδὴς, ζυγοειδὴς, ὀδοῦς, ξιφοειδὴς, ἀγκυροει-
δὴς, κορακοειδὴς, ὀλέκρανον, ἄκανθα, κορώνη,
ἢ κορωνοῦ, τροχαντήρ. In ipſa quoque oſ-
ſium cõnexione nominib⁹ variis luxu-
riauerunt: cuiuſmodi, σύμφυσις, & eius
differẽtiæ tres, συγχόνδρωσις, συννεύρωσις,
συσσάρκωσις. Et ἄρθρου, cuius differẽtiæ
διάρθρωσις, συνάρθρωσις, & illius, ἐνάρθρω-
σις, ἀρθρωδία, γίγγλυμος, huius γόμφωσις,
ἁρμονία, ῥαφὴ, & ea λαμβδοειδὴς, ὀβε-
λιαία, λεπιδοειδὴς, στεφανιαία. Ipſa quoque
iuncturæ vitia nominibus diſcreuerũt,
παράρθρημα, ἐξάρθρημα, & vnionis ἀγμὸς,
τερηδὼν, & alia non pauca in medendi
Methodo de ſolutione continui in oſſe
conſcripta. Oſſium denique quorundã

claſſem aliquam ſuis nominibus illuſtrarunt, vt omniũ capitis oſſium κράνιον: genæ ſupernæ & infernæ, γένυς ἄνω καὶ κάτω. Et dentium (nam hæc oſſa quoque ſunt) quidam τομεῖς, alij κυνικοὶ, alij γόμφιοι dicti ab illis ſunt, ὑοειδὴς, ϛέρνον, καρπὸς, μετακάρπιον, φάλαγξ, τράχηλος ἢ αὐχὴν, νῶτος ἢ μετάφρενον, ὀσφὺς, ὀστοῦν ἱερὸν ἢ πλατὺ, κόκκυξ, ὀστοῦν ἀνώνυμον, in quo ὀστοῦν πλατὺ, νων, ἰσχίου, ἥβης, ταρσὸς ſeu ὀστᾶ ἀνώνυμα tria in pede, πέδιον. Quin & harum paruarũ claſſium congeries quodã generali nomine ſepararũt: σκέλος enim his crus, tibiam, pedem cõplectitur. Et ſæpe χείρ, ſæpiꝰ ὅλη χεὶρ brachium, cubitum, manum extremam. θώραξ, ſternum, claues, coſtas, dorſum: ῥάχις collum, dorſum, lumbos, os ſacrũ, & coccygen. ὀδοὺς dentes omnes. Nec iis ipſis contenti omnium ſimul oſſium ſyntaxim σκέλετον appellauerunt. Cæterũ in cartilaginibus hac nominum varietate minûs luxuriarunt, quòd hæ, oſſiũ quibus adhærent magna ex parte nominibus ſatis paterent: quæ verò per ſe & ſine oſſibus ſunt, etiam nominibus ſuis ſunt inſignitæ. ταρσὸς in oculorũ ciliis: ἀκρώμιον, in clauis & omoplatæ com-

miſſura: βρόγχιον in aſpera arteria, cuius
ſumma pars λάρυγξ, & in ipſo cartila-
gines tres, θυροειδὴς, ἀρυταινοειδὴς, ἀνώνυ-
μος, & his incumbens ἐπιγλωττίς. Reli-
quę huius partis cartilagines σιγμοειδεῖς
vel σιγματοειδεῖς, & interdum βρόγχια.
Quin & harũ in iſpa aſpera arteria con-
geriem nunc βρόγχον, nunc τραχεῖαν ἀρ-
τηρίαν vocauerunt. Ligamenta quoque
per articulos & partes alias ab ipſis col-
ligatas, aut quibus inſiderent diſtinxe-
runt, rarò propriis nominibus ſepara-
uerunt: præterquã dum alteri materiæ
commiſcentur, à qua dicuntur χονδρο-
σύνδεσμοι, νευροσύνδεσμοι, νευροχονδροσυν-
δεσμοι. Membranas curioſiùs ſeparaue-
runt his nominibus, περιόστεος, & huius
ſpecies vna περικράνιος, περικάρδιος, περι-
τοναῖος, μεσαραῖος, ἐπίπλοος, ἐλυθροειδὴς,
δέρμα, ὑπεζωκυῖα διαφράττουσα τὸν θώ-
ρακα, μήνιγξ λεπτὸς καὶ παχὺς (quanquam
omnem membranam etiam ſignificet)
χωροειδὴς, χορίον, ἀλλαντοειδὴς, ἄμνιος. Par-
tibus cæteris ſimilaribus, quã nominũ
differentiam certè paucã impoſuerũt,
ex præcedentibus harum capitibus re-
pete. Quibus verò aliis nominibus par-
tes alias ventre inferiore & ſuperiore &

cranio cōprehanſas diſtinxerũt, poſteà in ipſarũ tractatione audies. Nunc mihi dicenda illorũ diligentia, ſed minus ſolicita in venarum, arteriarũ, neruorũ, muſculorum diſtinctione idoneis nominibus facienda. Venam appellarunt μεγάλην, quidem, quæ ex ſima hepatis oritur parte, quã partem & venã, πύλας & πύλας ἥπατος, vocarunt: Alij τὴν ἐπὶ πύλαις φλέβα, alii φλέβα μεγάλην ἐπὶ πύλαις, vt lib. de anatome venarum. Alii στελεχιαίαν, vt lib. 6. adminiſt. anat. & li. 6. locorũ affectorũ cap. 4. quòd ſit aliarum velut quidam truncus, vti caua vena aliarum οἷον πρέμνον, bis lib. 6. de placit. Hip. & Plato. & initio lib. de Anat. venarũ. Venã hãc alterã ab hepatis gibba parte natam, nũc μεγίστην, vt in anat. venarũ: & in libello de formatione fœtus: nunc κοίλην, à præſtantia & magnitudine cauitatis in lib. iiſdẽ, & alibi paſſim: nũc ἡπατῖτιν, vt lib. iiſdem: quo nomine Hipp. li. ſuo de Oſſibus appellare videtur axillarem: quod ei iungat ὠμιαίαν, tamen cauã ab Hipp. vocari ἡπατῖτιδα ſcribit Gal. lib. de formatione fœtus. Adhęc appellarũt στεφανιαίαν in corde, ἄζυγον, quæ coſtas octo inferiores

thoracis vtrinque nutrit. Præterea σφαγίτιδα, id eſt iugularē, & ὠμιαίαν, id eſt humeralē, quam & κεφαλικὴν vulgò dicimus. Galen⁹ verò ſæpè τὴν ἔξω φλέβα, vt ei ſuppoſitā τὴν εἴσω φλέβα, & τὴν κατ᾽ ἀγκῶνα, καὶ τὴν ἐν ἀγκῶνι φλέβα vocauit Hipp. & Gal. lib. 2. rationis victus acutorum. Eādem quoque φλέβα διὰ τῆς μασχάλης, & ἀπὸ τῆς μασχάλης vocat Gal. in anat. venarū. Ad hęc σπερματικὴν tum venā, tum arteriam, & in lumbis quoque cauam & aortam: vbi vtrūque in aliud vas diuiditur, λαμβδοειδῆ vocat Actuarius, à forma literæ λ: quam diuiſionem ν elemēto pulchrè comparat Galenus libello ſuo de anat. venarum. ἰγνύτιν quoque venā poplitis, vt σφυρῖτιν venam malleoli vocare potes non ſolū illam quæ κατ᾽ ἰγνύας vel παρ᾽ ἰγνύας & ἐπ᾽ ἰγνύας fertur: hanc κατὰ τὰ σφυρὰ vel παρὰ τὸ σφυρὸν, καὶ παρὰ τὸν ἀστράγαλον, & ἐπὶ τὸ σφυρὸν, lib. de anat. venarum, de curat. morborū per phlebot. quam & σαφῆναν vulgus vocat, quòd ſub cute ſita ſe prodit. Venas quoque aliquot per cutim modicis interuallis ſparſas, Galenus vocat σποράδας, lib. de anat. venarum, & lib. 3. adminiſtr. anat. Arte-

teriam itidem maximam cum Ariſtot. ἀόρτην, principem & aliarum omnium velut truncum quendam ſeu ἀνάλογον σελέχει φυτοῦ lib. de anat. venarum, vnde & σελεχιαία vocari poteſt vti & vena porta. Alij ἀρτηρίαν μεγάλην vocant ibidem. καρωτίδα quoque vocant eam quæ per collū feſtinat in cerebrū: quę compreſſa aut obſtructa; κάρον id eſt ſomnum quēdam profundum excitat.

Neruos autē parium numero & ordine diſtinxerunt: magis tamen etiam quoſdam nominibus à conſiſtentia, vel actione, vel accidentium aliò ſumptis ſeperarunt: vt μαλακοὺς id eſt, molles. αἰσθητικοὺς ſenſorios κινητοὺς ſeu κινητικοὺς motores, & ex mollibus ſeu ſenſificis, primos ὀπτικοὺς id eſt, viſorios γευστοὺς ſeu γευστικοὺς guſtatorios, quos etiā abſolutè μαλακοὺς vocant: ἀκουστικοὺς auditorios: φωνητικοὺς vocales, & παλινδρομοῦντας, id eſt recurrētes vocat lib. primo locorum affectorū, & alibi paſſim.

Muſculos quoque μασσητῆρας, id eſt māſores vocauit Hippocrates, quorum nomine etiam κροταφίτας, id eſt temporales cōprehendit. Muſculum quoque maſſeteri contiguum in ore latentem

vocat Galenus,&ei ſubiectū,rotundū: his omnibus& toti collo ſuperpoſitum πλατυὸ ſeu latum vocat, & interdum τραπέζιον, quòd ſit propemodum triangulus, δελτοειδῆ quoque vocat eum qui brachiū tollit, à Δ triangulari figura, quā etiā ἐπωμίδα, à ſitu in omoplata nominat: ῥαχίτας quoque ῥάχεως ipſi⁹ muſculos: διάφραγμα muſculū quendam nominauit,qui ventrē infernū à ſuperno ſeparat: muſculorū octo epigaſtrii rectos duos,trāſuerſos totidē,obliquos quatuor. σφιγκτῆρας duos, vnū qui collum veſicæ,alterum qui ſedem cōſtringit.In femore itē omniū in nobis muſculorum maximum: paruos, caput extendentes, & circum agentes, vtrinque quatuor.Alius diſtinxit ſitu magis, aut actione: vt cruris anticos, poſticos, laterales, ſeu internos & externos: tibiæ in γαστροκνημία ſeu ſura, & in ἀντικνημίῳ pedis ſupernos & infernos. In lūbis int⁹ ψόας. Inter coſtas μεσοπλευρίους vocat: in omoplata eā tollentes,deprimentes, antrorſum aut retrorſum mouentes: in brachio ipſum flectentes,extendentes,tollētes,deprimentes: cubitum flectentes,extendentes & carpum

& digitos: præterea in latus mouentes & ad pronum & ſupinum. In thorace ipſum dilatantes, cõtrahentes: collum & caput flectẽtes, extẽdentes, obliquè mouentes, laryngẽ claudẽtes, aperientes, & genam infernam. In hyoide ipſum firmantes. In lingua ipſam omni differentia motus id eſt ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum mouentes: Similiter in labiis. In oculo tollentes, deprimentes intro, foras mouentes, circumagẽtes. In cilio ſuperno ipſum tollentes, deprimentes. Quas muſculorũ differentias generales, à motus ſpecie & ſitu ſumptas, nos quoque ſequimur. Sed, quoniam vnà harum muſculi ſæpè quamplurimi cõprehenduntur memoratu difficiles, ſi numero tantum ordinati diſtinguantur: dicentibus nobis primus, ſecũdus, tertius &c. ſumus coacti ad rei euidentiam & memoriæ prõptitudinẽ, nomina horũ plurimis imponere, plurima prçcipuè in venis & arteriis ſumpta, à parte quam adeunt: vt in muſculis multa à parte cui infixi inhærent, vt brachiæus, tibięus, peronę⁹. A figura quoque, vt maiores noſtri

ſic nos non paucos vocauimus, vt trapezion in collo ſubditum Lato, quãuis hunc Latum Galenus trapezion vocat, quia etiam ſit propemodum triangulus: quia tamen lati nomine ſatis eſſet cognitus, hoc nomen ad alterũ illi ſubditum eadem figura præditum trãſtulimus, ſcalenum quoque eum in collo vocauimus, qui cùm triãgul⁹ eſſet, omnibus tamen lateribus erat inęqualibus: rhomboïdem verò illũ, qui omoplatam ſurſum & retroſum mouet, & alios ſimiliter ratione aliqua nos à figura nominauimus: & ſimilitudine rerũ externarum: vt, ſerratos in thorace quòd inęqualem ſerrarum modo haberẽt cũ coſtis, & inter eas ſpaciis connexum. Solẽum quoque in ſura, & in eadem geminos, in planta & palma lumbricos, & alios ſimili ratione: ſic & à magnitudine magnos, paruos, latos, anguſtos, longos breues: à ſubſtantia, carnoſos, neruoſos, membranoſos, à capitum numero, vt bicipitem in brachio, tricipitem in crure & pede. Ventriculum quoque, hepar, lienem, venam, & partes cæteras, anticam, poſticam, ſupernam, infernam, internam, exter-

nam, dextrã, ſiniſtrã, ſæpe ad ſermonis breuitatem vocabimus, partẽ eius anticã, poſticã, &c. ſignificaturi nõ partes ipſas plures, quarũ vna ſit antica, poſtica, &c. In quibus poſitionum nominibus ambiguitas ſæpe apud ſcriprores idoneos contingit, pro ſitu vario partiũ nobis propoſito. Quæ omnia Ruffus Epheſius multò curioſiùs variis nominibus diſtinxit in Onomaſiis. Nos quoque locorum differentias in venarum, arteriarum, neruorũ diſtributione, ad orationis breuitatem perſpicuã ſic expreſſimus. Ab his enim ramos aut ſurculos dicimus amitti, quando ex illorũ parte anteriore prodeunt: remitti, quãdo ex poſteriore: dimitti, quãdo vtrinque & è regione: ſubmitti, quãdo vtrinque, ſed alterius, vt vna ſoboles ſuperior, altera inferior eſſet: promitti, à dextro latere: permitti à ſiniſtro: emitti ſurſum: demitti deorſum, ſeu ad partes ſupernas & infernas ſoboles diſtribui.

Locorũ differentiæ in venis, arteriis, neruis.

In partibus cæteris hæ locorũ differentiæ antè retrò, ſurſum deorſum, dextrorſum ſiniſtrorſum, int⁹ foris, variãt multum apud anatomicos ſcriptores, vt interdũ corpus rectũ ſpectare vedeã-

tur, interdũ proſtratum. Sic & Gal. lib. de anat. vteri ſcribit, vterum terminari veſica, & inteſtino recto, illa quidẽ ſupra, hoc verò infra: tamen paulò antè ſuperiorẽ vteri partem eſſe fundum, inferiorem ad pudẽdum vergere ſcribit. Internũ quoque quod corporis centro accedit, externũ quod cuti propinquat fere vocamus, tamen in artubus aliter. Nã internũ brachii aut cruris, quod reliquum brachium aut crus reſpicit, externum cõtra. Sic Hippocrates os brachii & cruris intus & poſt ſimum, foris & antè gibbum ſcripſit. Similiter cùm venã ὠμιαίαν, id eſt humeralẽ vocat Galenus τὴν ἔξω, id eſt externam, & ei oppoſitam τὴν ἔσω ſeu internã, & condylũ brachii externum radio articulatum, internũ verò cum nullo oſſe totũ articulari dicit. Et apophiſin cubiti minorem vocat priorem, maiorẽ verò, poſteriorẽ Galenus lib. de oſſibus. Manus media inter pronã & ſupinam ſtatuatur, & ad hanc figuram reſpiciens eius partẽ internam nomina, & externã oppoſitã: ſi verò manus prona ſtatuatur, internũ manus ad pollicem eſt, externum ad paruum digitum.

DE VENIS ET ARTERIIS.
CAP. I.

VEna, vas eſt ſanguineũ, arteria ſpirituoſum, quòd largiorẽ illa ſanguinem, hæc ſpiritum comprehẽdat. Qua ratione Galenus ventrem cordis dextrum quidem ſanguineum, ſiniſtrũ verò ſpirituoſum vocat. Vtrunque tamen vas ex ſeminis ſubſtantia genitum, villis triplicibus contextum eſt: vena autem in tunica vnica, arteria verò in duabus, quarum externa tenuis, villis rectis & paucis obliquis complicatur: interna autem quintuplo craſſior, ſolis tranſuerſis conſtat: ob id tota arteria ſextupla venæ, Herophilo rectè dicitur. Venarum nomine etiam arterias comprehendebant veteres, quo ſenſu Plato in Timæo venas à corde producit, quanquam philoſophis cor primum gigni & fons eſſe venarum, arteriarum & neruorum putatur, lib. de formatione fœtus: vbi tamen Gal. venas ante hepar & cor gigni, & hepar ante cor probat. Vena omnis ab hepate prodit, Simo quidẽ porta, Gibbo

Li.6. Placit. Hip. & Pla.

Vena porta.

autem caua, vtraque in eo tenuiſſima & rariſſima. Nam quæ vena fœtum in vtero vmbilica educat, natis contracta pro vena fit ligamẽtum hepati ad vmbilicum, & interuentu peritonæi etiã ad phrenas. Vena autem arterioſa non ſimpliciter, vena eſt, nec ab his ſed à dextro cordis ventre oritur, & ſolis pulmonibus nutriendis deſtinata eſt. Renalis autem tum vena, tum arteria etiam integra in renibus manet, nõn autem vt vas commue per ramos diuiditur, ſicuti quidam falſò ſcripſerunt, quemadmodum in renibus poſteà audies.

Caua.

Vmbilica fœtum in vtero nutrit.

Vena arterioſa.

Vena renalis & arteria.

DE VENA PORTA.

CAPVT II.

VEnæ portæ radices numeroſæ à totius ſimæ hepatis ambitu in ramos quinque, plures, pauciorbus concurrunt, hique mox in vnũm velut truncum & caudicem coëunt, cuius ſtatim ab ortu talis eſt diſtributio.

Harũ omnium venæ portæ fibrarum ac diſtributionũ diſquirendarum rationem vide cap.23. L.13.huius operis.

Trunco.

1 Cyſticæ gemellæ, in veſicæ bilariæ collum& corpus mittũtur.

2 Gaſtrica:phyloro & poſticoventriculo illi propinquo diſtribuitur.

3 Gaſtrepiplois,fundo ventriculi dextro toti,& dextro toti epiploo inſpergitur ſurculis illum ſupernis ,hoc infernis ex aduerſo adeuntibus.

4 Inteſtina, ecphyſi & initio ieiuni & glandoſo huius corpori.

Ex his cyſticæ & gaſtrica paruæ, ex antica trunci parte, reliquæ duæ maiores ex dextra. Sed has duas ſępe meſenteria primas & initio ſui mittit.

Venæ portæ exeũt

- Splenico.
  - 1 Gaſtrica minor, gibbæ ventriculi dextræ.
  - 2 Epiplois dextra huic ſubdita epiploo poſtico dextro, & coli parti.
  - 3 Coronaria ſtomachica ſimæ vẽtriculi, quę venula vtrinq; emiſſa, ad ſtomachũ effertur, ibiq; bipertita, ramo maiore ſeu corona, ſtomachum totũ cingit ramulis ſurſum ad œſophagi finem, & deorſum in vẽtriculum dimiſſis: minore autem ad pylorum deſcendit, ramulis obiter antè & pòſt diſtributis.
  - 4 Epiplois poſtica huic ſubdita, quæ mox in duas lõgè

diſſitas fiſſa, epiploo poſtico toti, & coli parti dorſo cõmiſſæ dant. Ex his prior cõiugatio parua, poſterior magna † Reliqua in duas abit venas, illæ in alias atq; alias in ſimam liẽnis partem, & reliquã eius ſubſtantiã ſpargẽdas, præterquam ꝙ à ſummo prope liené ramo, aut ſequente ſurculus in ventriculũ ſiniſtrũ etiã altius nobis ſæpe, & aliquando in epiploon ſiniſtrũ anticũ effertur: ab infimo autẽ epiplois ſiniſtra partim deſcendit in epiploon ſiniſtrũ poſticũ, partim recurrit obliquè, tanquã gaſtrepiploidi occurſura ſurculis obiter deorsũ in idẽ epiploon dimiſſis, ac ſurſum in totũ ventriculi fundũ ſiniſtrũ.

Venæ portæ exeũt — Ramo

† Quod poſt Epiploidẽ poſticam reliquum eſt Rami Splenici, id in duas partes ſciſſum in Lienẽ fertur.

Meſenterio, Corpore glãdoſo, πάγκρεας vocãt, inuecta, in venas multas, tres tamen pręcipuas, mox tota exit: quę multipliciter diuiſę, & inter duas meſenterij tunicas vectę, in ſimã partẽ reliquorũ inteſtinorũ ramulis quamplurimi abſumũtur, ſuis oribus in illorum cauitatem vndique incidẽtes: quibus & chylũ ſugunt vehẽdum in hepar. Sæpe etiam ſanguinẽ, & harũ partiũ, atque adeò corporis totius, excrementa reuehũt: huius quoque portio vna colo ſiniſtro, & inteſtino recto, & ſedi inſeritur ramulis aliquot venas hæmorrhoidas facientibus. *Venarum meſaraicarum munus.*

DE VENA CAVA.
CAP. III.

VEna caua omniũ capaciſſima à toto gibbę hepatis ambitu ſurculis ſimiles portę ſurculos ſpectãtibus, & propemodum tangentibus orta, tandem ceu in truncum vnum mox geminũ, parte huius gibbæ poſtica exit: nõ quidẽ radices ſuas omnes complexum, ſed quarum aliquæ in trunci inferioris per cauatum poſterius hepar deſcendentis partem anticam excipiuntur. *Venæ cauæ ortus.*

Mox namque in ipſo ſtatim exortu in truncos abit duos, ſuperiorem & inferiorem, eúmque maiorem, vt explorãti patet. Cuius cauſæ aliquot Galeno lib. de vſu partium ſcribuntur: aliæ nobis eum locum interpretantibus aſcribentur, ne cui ſit calumniæ locus ex partiũ ſupernarum multitudine, & multa ſanguinis diſſipatione.

Trũco.

1 Phrenicæ duæ, totum diaphragma nutrientes.

2 Coronaria, interdũ gemina baſin cordis coronæ modo cingens, in partem cordis externã diſtributa.

3 Azygos etiã ſub corde ſemper obſeruata Gal. in his quibus ſternon oſſibus ſeptem conflatum, thoracem facit longiorem. Noſtris autem corporibus ob ſterni, & thoracis breuitatem, ſupra cor & pericardion oritur intus, magis & minus: ſed ſæpe ad quintũ thoracis ſpõdylum ſpacia ſeptẽ inter coſtas inferiores, quatenus oſſeę ſunt in-

terdum omnia vtrinq; nutrit, & propinquã his dorſalem medullam: & thoracis mẽbranas ſibi vicinas, & hui⁹loci rhachitas muſculos, hæc autem dextra eſt: in ſiniſtrũ autem latus pro illis octo, vel pluribus ramulis, interdum inſignẽ ramum mittit, ſimiliter tamen diſtribuẽdum. Interdum ab initio non azygos eſt, ſed gemina intercoſtalis inferior eſt.

Venæ cauæ ſuperioris exeũt

4 Intercoſtalis ſuperior ſpacia duo, tria, inter ſuperiores coſtas, quatenus oſſeæ ſunt, nutrit, quãdo ab azygo, vel à clauali nõ nutriũtur, à quibus dum nutriuntur hęc deficit, vel tenuiſſima eſt. Eadem interdum ab initio clauali, infernæ naſcitur.

1 Mammaria, ſtatim ſeu initio ſub ſterni latere deſcendens ramulos obiter dimittit vicinis thoracis

tum mēbranis, tum muſculis, vt pectoralib⁹ & qui inter cartilagines coſtarū ſeptem verarum, mammis præſertim è regione ipſarū, & largiſſimè muliebribus. Reliquum ad xiphoide cartilaginem emergit, & ſub muſculis rectis delapſum, in hóſq; & cutim, partéſque alias vicinas diſpertitum, paulò ſupra vmbilicum, ſurculis aliquot ſuis occurrit, ſurculis totidem epigaſtriæ, hincq; fit conſenſus mammarum cū vtero. Hæc autē ſæpe ſimplex ex caua aſcendit antica, & ad thymū bipertita deſcendit vt priùs.

Mammarū conſenſus cum vtero.

Venæ cauæ ſuperioris excūt

2. Ceruicalis, paulò poſt hanc emicat in cerebrum, per foramina in trāſuerſis ſpōdylorum ceruicis apophyſibus, & ea quæ ſunt in radice χ ορωνη occipitis, ramulis obiter dimiſſis in muſculos vicinos, & colli

Ramo ſubclauio.

rhachitida per ſuorũ neruorum foramina.

3 Muſcula ante muſculũ ſcalenum nata, in muſculos rhachitas tum imę ceruicis, tum ſummi thoracis.

4 Thoracicæ duæ, extra thoracem ortę, vna in mammas, & thoracis muſculos anticos, altera in poſticos, & eum qui eſt ſub fine omoplatæ, interdum & in latiſſimum, cui tamen ſæpius vena inſignis ad glandes axillæ propria naſcitur, inde quod reliquum ſubclauiæ eſt, axillaris eſt in brachium, quæ diſtribuitur cum humerali, vt poſt audies.

1 Interna, gracilior ſecundum latus aſperæ arteriæ aſcendẽs ad fauces, & inde ad cranium venulis exilibus obiter dimiſſis, aſperæ arteriæ, & membranis vicinis, & neruis ſexti quidem paris in collo, ſeptimi verò

Iugularis. | in faucibus: vbi cranium attigit bipertita, maiore ramo per cranij baſin reflexo, vbi ſurculũ dedit muſculo colli interno longo, per foramen paris ſexti cũ minore carotide arteria ſibi cõiuge craniũ ingreſſa, coit in vas commune. Minore autem, vbi ramulum auditus organo dimiſit per foramen tranſuerſum ſibi cõmune, & portioni nerui quintæ crotaphytan petẽti, cranium intrat per foramen ſæpe geminum, ſed exiguum, prope latus externum foraminis tertiæ, & quartæ cõiugationis in craſſam meningem ramoſæ abſumitur.

Ramo ſuper clauio exeũt

2 Externa ſæpe ſimplex interdũ diuiſa etiam multipliciter; idque nunc initio ſui, nunc in collo medio, aſcendit per coli latus ſub cuti, & muſculo lato, ſurculis obiter in vicinos

muſculos, cutim, mẽbranas dimiſſis: vbi fauces attigit, portionẽ ſui in oris partes, glandulas, muſculos tum hyoidis, tum laryngis, tũ linguæ linguam infernam, tunicam narium internã abſumit: niſi quod ramuli aliquot inde etiam in craſſam meningem emicant per foramen, tum pone maſtoide apophyſin, tum ſecundi neruorũ paris, tum maximum inter ethmoidea ſurculis obiter in oculos, & frontis cutim diſtributis. Portionẽ alteram ſemper ſubcutaneã dimittit; ramo inſigni ſuper genam infernã aſcendẽte, in labra vtraque, pinnas naſi, naſum, frontẽ, faciẽ reliquã,

ſuper clauio exeunt.

maiorem oculi angulum, & inde in venã frontis vel propriam, vel ſibi oppoſitæ cõmunẽ, dextra ſcilicet ac ſiniſtra ibi in vnã coëũte, altero in glãdulis ad aures variè diuiſo, in cutem tum capitis, tum faciei, & frontis abſumitur.

Vbi propriè humeralis dicatur. Humeralis, quę ramulo ſtatim ab origine dimiſſo, in ceruicis tum cutim, tũ muſculos externos, deinde alio in gibbam omoplatę ſub ea in brachium fertur: vbi primum humeralis propriè dicitur, antè verò adhuc eſt ſuperclauia.

Humeralis, inter muſculum deltoide, & tendonẽ muſculi pectoralis procedit, & ſuper membranam carnoſam rectà, & exterior paulò deſcẽdit, ad cubiti flexum ſub cuti conſpicua, in macris præſertim, & cum magna eſt ac tumida, ſurculis obiter in muſculos brachii vicinos, & cutim dimiſſis. Hæc paulò ſupra brachii apophyſin externã bipertita, ramo interno cum pari ramo axillaris coït in venam communẽ: quæ

ſuper radii finem foras egreſſa, variè in manum externam abſumitur: externo autem ſecundum radium deſcendit ad ipſius dimidium. Hic deinde obliquus foras exit, & ad carpum axillaris ramo auctus, manum externam ſæpe totam nutrit, præſertim è regione paruorum digitorum. Ramus interdū tertius cum dictis duobus natus, in flexum cubiti deflectens, in muſculos eius loci abſumitur, quibus etiam dicti duo rami numeroſè diſtribuuntur.

Axillaris brachium ingreſſa, ſub muſculi pectoralis tendone in profundā, & ſubcutaneam diuiditur. *Axillaris.*

Profunda arteriæ axillari, & neruorū pari tertio ſemper attenſa deſcendit, ramulóque extrorſum ad muſculos ex brachii externa apophyſi natos dimiſſo, per medium cubiti flexum effertur, mox iterum merſa muſculis cubiti mediis, ramo vno ſecundum radiū, altero ſecundum cubiti os per annulum delapſa, illo in ſurculos pollici duos, indici totidem, medio vnum: hoc in totidem, medio vnum, medico duos, minimo duos abſumitur, muſculis internæ manus alios obiter largita. *Profunda.*

Subcutanea. Subcutanea ad cutim emergit, & paulò ſupra internam brachii apophyſin ramo vno, per medium cubiti flexũ interiùs delapſo, cum interiori humerariç ramo communem facit, ſub cubiti flexu, propriùs, longiùs: altero ſubcutanea axillaris per infernum brachii latus conſpicua deſcendit, vti humeraria per ſupernum, illa ramulis in cutim propinquam, & partes alias dimiſſis prope carpum coit iterum cum altero ramo humerariæ. Dictu incredibile quàm variè etiam in eodẽ homine habeant hç brachiales venæ, dextra & ſiniſtra, multò magis in diuerſis.

Trũco in lumbis.

1 Adipoſa, ſiniſtra quidem ſępius ex cauç ſiniſtra, dextra vero ex renali dextra: raro illa ex renali, hçc ex caua exit. Vtraque in tunicam renum externã à peritonæo natam ſparſa adipem largum adgignit.

2 Renalis, dextra quidem ſuperior, ſiniſtra verò inferior. Contra

verò, ſi rē ſiniſter dextro interdū ſublimior fuerit, vraque abit primum in ramos duos, priorem & poſteriorē, hiq́ue alios ſæpe ſeptē, in renum corpus vtrinque diſtribuendos, vt in renibus audies.

Venæ cauę inferioris exeũt.

3 Spermatica, dextra quidem à caua antica ſub renali, ſiniſtra verò à renali, mediæ inferno. Eſt tamen quando etiam dextra eſt altera à renali, & ſiniſtra altera à caua. Vtraque in viris quidē in teſtis tunicam & ſubſtantiam abſumitur, ſurculis aliquot tenuibus in ſuam peritonæi apophyſin ſparſis. In mulieribus autē dimidio in teſtes, altero dimidio in vteri latera & fundum nutriēdum, quo etiam menſes fluunt. Inſertionis modus

in teſtibus dicetur.

4 Lumbaris, multiplex & vnaquæque bipartita in lumborum medullã per neruorũ foramina, & in eius loci muſculos cũ arteria ſimiliter diuiſa diſtribuitur.

Ramis duob⁹ iliis.

1 Muſcula, in muſculos lumborum & epigaſtrii vicinos, vt obliquos aſcendentes, & tranſuerſos, & peritonæum: hęc interdum ab imo trũco naſcitur.

2 Sacra, in oſſis ſacri medullam per antica neruorum foramina.

3 Hypogaſtria, in partes propè omnes hypogaſtrii, vt inteſtini recti, tum muſculos, tum cutim muſculoſam (in qua etiam ſæpe hæmorrhoidas excitat) in veſicam virilem minore ramo, in veſicæ collum & penẽ maiori, in muliebrem verò veſicam, & vte-

rum ampliore, in collum vtriuſque minore: per quem virginibus, & ſæpe vtero gerentibus, etiã ſano fœtu menſes purgantur.

Huius hypogaſtriæ reliquũ, ramo cruralis auctum, per foramen pubis deſcẽdit, aſſumiturque in muſculos ab oſſe pubis ortos, iſchio, & cutim natium.

4 Epigaſtria in peritonęũ muſculos epigaſtrii obliquos, trãſuerſos, rectos ſpargitur dum ſub rectis effertur: vbi verò vmbilicũ ſuperauit, ſurculis aliquot ſuis occurrit mãmariæ ſurculis, per quos ſolos mãmis cũ vtero eſt cõmunio.

Hęc verò ab externo iliæ prope crus, hypogaſtria ab interno exit.

5 Pudenda, epigaſtriæ oppoſita paulò

ſub hypogaſtria, mulio-
bribus, & horum mē-
branis, peni, ſcroto, his
diſtributionibus factis
ab ilia intra peritonęū,
quo pertuſo ſuccedit
cruralis.

DE VENA CRVRALI.

HÆc vena ſimul atque à peritonæo elabitur, ſuper os iſchii in inguina deſcendit, & anticam internāque femoris partem, vbi in multos ramos facit diuiſionem, multis & magnis eius loci glandulis firmatam: quæ cum arteria, neruo hac cum his deſcendente, cauitatem illam inguinum opplet: eſtque cæterarū venarum in crus demiſſarum truncus hic cruralis, pendens ab externo ramo trunci venæ cauæ ſuper os ſacrum ſeparati. Cuius hæ ſunt propagines,

1 Saphena ſeu malleoli, ad inguinis glandulas nata, per internum cruris, genu, tibiæ, inter cutim & membranam carnoſam: deſcendit ad malleolum

leolum externum, & in pedis ſuperni cutim variè abſumitur, ſed quatuor obiter dimiſſis in cutim cõiugationibus: prima & ſumma, ramo interno in inguen, perinæũ, & eius loci cutim: externo autem & maiori in cutim ſummi cruris anticam & externam: ſecunda ad medium cruris: tertia ad genu, parte vna in molam, altera in poplitem: quæ deeſt cum vena poplitis eſt amplior: quarta ad medium tibiæ antrorſum & retrorſum.

Crurali exeunt.

2 Iſchias minor, è regione ſaphœæ cuti iſchii & eius loci muſculis.

3 Muſcula duplex, minor & ſub hac maior, muſculis cruris cõpluribus. Maioris profundior quędã portio, aſſumptis finibus reliquis hypogaſtriæ per foramen pubis delapſæ ad vſque genu fertur.

4 Poplitea, ex ramis duobus cruralis iam vnitis conflata,

ſurculis aliquot in cruris cutim poſticã ſparſis, per mediũ poplitem delapſa, nũc in ſurę cutim abſumitur, nũc ad calcẽ vſque deſcendit, nũc venis ſaphæ aucta, per externum malleolum cutim pedis ſuperiorẽ, aliquãdo & inferiorem, adit.

5 Suralis, in ſurę muſculos & cutim tibiæ internæ, & pedis interni: deinde circa malleolum internũ reflexa, latus internum pedis & cutim pollicis, rarò alios digitos, adit.

6 Iſchias maior, etiam crurali (in has autẽ duas cruralis tota abſumitur) portione maiore per ſurę muſculos delata, abſumitur in ſurculos decem, ſingulis ſcilicet digitis binos, minore autem inter peronen & calcẽ ceſſante. Hæc tamẽ portio interdũ perforato inter peronẽ & tibiam medio ligamento, partim abſumitur in muſculũ digitos pedis abducentẽ & cutim: partim minimis digitis dat ſurculos quinq̃ minimo & medico duos, medio vnũ: tũc à priori portione tãtùm ſunt quinq̃ in maiores digitos.

DE VASIS VMBILICIS.

CAPVT IIII.

VEnæ & arteriæ ex ſpermaticis deriuatę,&in vteri fundū& latera inſertæ,ſuiſque oribus cauitati vteri adapertæ,&in eā menſtruū ſanguinem effundētes,poſt conceptum verò ſemen, chorió extimā fœtūs tunicā, quà attingunt, cauant,& perflādo velut fiſtulāt: tādēque vaſorū ora tot fiūt in chorio,quot fuerunt in vtero:&oribus ſuccedentia vaſa, venæ ſcilicet venarū,arteriarum orificiis reſpondentes. Porrò vaſa hæc ab his velut radicibus in alia maiora, hæcque in alia corriuant: donec venæ omnes in vnum velut truncum coëant,idque interdum in chorio ipſo fit, ſæpius in vmbilico, ſed miſſis obiter venulis & arteriolis in allantoide&amnió tunicas alias fœtus,quas vaſa hæc peruadunt. Vena inde in ſimā hepatis propè portę exortū inſeritur, & diſtribuitur, ad fœtus nutritionem. Arteriæ adhuc duæ permanent, quæ per fœtus vmbilicum receptæ, & ſecūdum veſicę fundum inuectæ,in ilias ar-

Vena arterioſa & arteria venoſa. terias inſeruntur, in id vtiles in quod aliæ arteriæ. Vena arterioſa, & arteria venoſa pulmonibus propria vaſa, nomen ab actione & vſu, denominationē à tunicarum forma mutuantur.

DE ARTERIIS.

CAP. V.

Arteriæ magnæ ortus, eiuſque primaria diuiſio. ARteria aorta ſeu magna, ex ſiniſtro cordis ventriculo, per baſin mediam emergit, ac mox pericardion egreſſa in ramos tota duos abit inæquales, minorem ſupernum, maiorem infernum: qui ad quintum thoracis ſpondylum reflexus deorſum ſecundum ſpondylos deſcendit, &, vt audies, diſtribuitur. Minor autem medianis in thorace membranis firmatus, dum paululum aſcendit ſubclauiam ſiniſtram, ſuper ſiniſtrum pulmonem emittit obliquè in primā thoracis coſtam: dum verò thymum glandulam attigit, ſubclauiam dextram producit, cuius diſtributionem mox audies. Deinde paucis audies quibus propaginibus hæc ſubclauiam ſiniſtram ſuperet, exortu multum diuerſam & gracilio-

rem. Sed arteria hæc magna in ipſo ſtatim à corde exortu, coronarias mittit duas, maiorem ſub valuula dextra, minorem ſub poſtica prodeuntes: quæ in cordis ſuperficiem, & eius partem craſſiorem, venę coronariæ modo diſtribuitur. Corpus autem arterię corpori venę ſexcuplum eſſe ex Herophilo ſcripſit Galenus cum externa eius tunica venarum tunicæ ſit craſſitie æqualis, interna autẽ quintuplo craſſior. Quales verò & quàm multos habeat villos vtraque hæc arterię tunica dictum nobis abundè eſt iſagoge de mẽbranis & villis. Interna enim craſſa, dura, denſa, villis tranſuerſis: externa rara, mollis, qualis eſt venę. *Coronaria duæ arteriæ. Lib. 6. vſ. part.*

1 Carotis dextra (ſed ſiniſtra eſt à trunco in thymo) ſecundũ latus aſperæ arteriæ aſcẽdit cũ iugulari interna: vbi vero fauces attigit bipartita, ramo interno & maiore faucibꝰ laryngi, linguę, ſurculos largita, cranium ſubit per foramẽ lacerum choanæ propinquũ, à quo exile aliud foramen in nares, per quod arteria in na-

ſum etiam ſummum demittit, alterum ramum in craſſam meningem variè ſpargit: deinde alium per foramen ſecundi paris in oculū & crotaphitæ internum. Reliquū in oſſe ſphenoide inter apophyſes clinoides variè, retiū modo ſibi incūbētium implexū, facit πλέγμα δικτυοειδὲς in hominib⁹ ſemper obſeruatū Galeno, & cæteris omnib⁹ in anatomica rectè inſtitutis: reliquo craſſam meningē perforat, & in tenuem meningē & mēbranā choroide ramoſè abſumitur, vtraque in ſuum latus. Ramus autem externus & minor vbi à faucibus ſurculū buccis vnum, tēporibus alterū, poſt aures tertium dimiſit, craniúmque iam tangit, ramulum mittit in principium muſculi in collo longi, denique cum iugulari interna per foramen ſextæ in cōmunem ſinū craſſę meningis ceſſat.

Lib. 9. vſ. part.

Arteria ſubclauia dextra exeunt.

2 Intercoſtalis minor, in tria

ſpatia inter coſtas quatuor ſu. periores, & eius loci rhachitida, & muſculos.
3 Ceruicalis, per foramina in trāſuerſis apophyſibus ſpōdylorū colli, & ea quę ſunt ad radices κορώνων occipitis, in craſſā meningē cū vena ceruicali datis obiter ſurculis per foramina neruorū, rhachitidi colli', & muſculis vicinis.
3 Mām aria, ſecundū diarthrωſes cartilaginū cū ſterno, deſcēdit ad xiphoides, obiter lar. gitaſurculos muſculis, interco ſtarū cartilagines, mām is, mēbranis medianis vicinis: deīde ad rectos muſculos emergit, & ſurculis reliquis ſpectat ſurculos ocurrētes arterię epigaſtrię
4 Muſcula, intra thoracē orta in poſticos ceruicis muſculos vſque occiput.
5 Humeraria, duplex extra thoracē orta, vna in cauę omoplatæ muſculos, altera minor in brachii ſummū & articulū & omoplatę gibū: ſed portione

Axillaris arteria.

ſui profunda cum vena humerali quadantenus procedit.
6 Thoracica duplex, vna in muſculos thoracis anticos, altera in muſculum latiſſimum; quod reliquũ eſt, axillaris eſt arteria, quę axillaris profundę ramo attenſa deſcendit inter muſculum bicipitem & brachiũ, ſurculos illis obiter largita, ſed ramum inſignẽ muſculis cubitũ extendentibus, qui cum vena, & neruo quarto ad apophyſin externam delapſus, ſub muſculorũ inde natorum capitibus ceſſat.

Axillaris porrò cubiti flexum mediũ ingreſſa, ſurculis vtrinque demiſſis, paulúmque inter muſculos duos digitorũ flexores progreſſa, in duos ramos abit: quorum ſuperior ſecundum radium deſcendit per annulum in muſculos pollici propinquos, in quẽ internum ſurculis duobus, in indicem totidem, in medium vno abſumitur, vti inferior in reliquum eius dimidiũ vno, in medicum duobus, in minorem duobus ceſſat, ſed antę ſecundum

Manus externa arteria caret. Sub clauiæ ſiniſtræ diſtributio.

cubiti os per eundem annulum delapſus, muſculis parui digiti diſtributus. Manus externa, vt muſculis ſic arteria caret,& cutis prope omnis.

Sic omnino diſtribuitur etiam ſubclauia ſiniſtra, niſi quòd carotidem nõ emittit, hæc enim ſub thymo producitur. Carotis autem ſiniſtra ex thymo egreditur, & paulò pòſt dextra.

Trunco.

1 Intercoſtalis maior, in ſpacia verarum coſtarum tria vtrinq; reliqua, quatenus hæ ſunt oſſeæ, tota autẽ notarum vſque epigaſtrion, vti vena azygos, ſurculis ſtatim per neruorum foramina vicinæ rhachitidi miſſis, & vicinis muſculis.

2 Phrenicæ duæ, vtrinque vna ad ſpondylum thoracis vndecimum orta, phrenas totas & continuũ pericardion, quibus thorax breuior, diſtribuuntur.

3 Cæliaca, inſignis in vẽtriculũ, omen tum ſple-

Trunco.

nem, hepar, folliculum fellis, ecphyſin colon vẽtriculo adnexũ diſtribuitur hoc modo: in ramos duos abit, dextrum & ſiniſtrum paulò maiorem. Dexter ſurculum dat omẽto poſtico, & ipſius pancrea & colo, alterum poſtico vẽtriculo, tertiũ ecphyſi & ieiuni initio, quartum fundo ventriculi dextro, antico, poſtico, & epiploo antico, duos alios folliculo fellis & ſimæ hepatis parum profundè. Siniſter ſurculos dat epiploo poſtico, & ipſius pancrea. Alterũ ventriculo poſtico, & ſæpe fundo, qui vti vena coronaria diſtribuitur coronæ modo ſurſum ad ſtomachũ, & deorſum ad corpus ventriculi, & pylorum, & partes ventriculi vicinas. Tertium epiploo poſtico, colo: quartum ſimæ lienis, & ab hoc alium ſæpe epiploo antico.

Arteriæ magnę excũt.

4 Meſenteria ſuperior, meſenterio ſuperuecta in ieiunum, ileon, coli partẽ, à ſima hæpatis ad renem dextrum.
5 Renalis dextra & ſiniſtra venę renali ęqualis, in renẽ vti vena diuiditur: in adipoſam renũ tunicam vix eius aliquid tranſit.
6 Spermatica, dextra & ſiniſtra, quę rarò à renali oritur, cum vena ſpermatica deſcẽdit, & peritonęo elapſa, ambagioſè delata, in teſtis tunicã & ſubſtantiã abſumitur in viris: in mulierũ verò teſtes tantum abit horum vaſorũ dimidium, reliquum in vteri fundum & latera.
7 Meſenteria inferior, meſẽterio infimo, colo, inter ſimã lienis & rectũ ac ipſi recto diſtribuitur.
8 Lumbaris, vtrinque per neruorum foramina

in lumborum rhachitide, & adnatos lumbis muſculos,& abdominis, & peritonæum.

9 Ilia ad oſſis ſacri principium nata, ex magna arteria venam cauam ſupergreſſa, ne ab oſſe ſacro lędatur, mox iterum venæ iliæ ſubiicitur vt ſit tutior, in duas autē ilias tota hæc arteria,vt vena, abſumitur.

Parte ilia.

1 Muſcula, in eius loçi muſculos poſticos.

2 Sacra,in oſſis ſacri rhachitidem per antica neruorum foramina.

3 Hypogaſtria, ex interno latere nata portione vna per magnũ oſſis iliũ ſinũ delapſa, in muſculos tegētes os iliũ & cruris articulũ fertur: altera in veſicę fundum,& collum,& penem & ſedem: in mulierę autem in ve-

ſicæ & vteri fundum, & collum, & muliebria, tertia per foramen pubis cũ vena delapſa & neruo, ſed aucta propagine epigaſtriæ, ſpargitur in muſculos huic foramini adnatos, & quoſdã ab oſſe pubis natos.

4 Epigaſtria, quæ per inguen portione ſui in crus abit: altera aſcendit ad muſculos rectos, ſub quibus ſub vmbilicũ ſuis ſurculis mammariç ſurculis occurrit.

5 Pudẽda, in commiſſuram oſſium pubis & in penis cutim abit: quod reliquum eſt, cruralis eſt.

Cruralis, aliquot ramulis in cruris muſculos dimiſſis: & inter illos eo, qui miſcetur prædictæ arteriolæ per pubis foramen deſcendenti, vbi poplitem attigit, inter cruris cõdylos ſurculos duos mergit in genu, ramũ demum ſecũdum peronæ demittit in anticos tibiæ muſculos; vbi iam tibiæ medium ſub muſculis gemellis tangit, ceſſat in ramos duos: quorum interior ramulo in tibiæ articulum immiſſo deſcendit *Cruralis arteria.*

inter tibiã & pternam, & ſurculis quinque abſumitur: duobus pollici, duobus indici, vno medio: exterior verò inter peronem & pternam deſcendens, tibiæ articulo ſurculũ largitùs, ſurculis quinque abſumitur: duobus in minimum, duobus in medicũ, vno in medium, ſed his grãdiorem mittit in muſculum qui digitos abducit. Variæ autem, vt venæ, ſic arteriæ tum in pedem, tum in manũ diſtribuuntur. Arteriæ cranium intrãt cum venis, duæ vtrinque: prima ceruicalis per foramen in radice κορῶνων, ſecunda carωtidis minor, & iugularis internæ maxima portio, per foramen ſibi proprium in ſphenoïde prope choanam. Venæ præter has quatuor intrant cranium. †iugularis internæ ramus per foramen propinquum foramini paris tertij & quarti. Secũda iugularis externæ ramus, per foramen poſt apophyſin maſtoïde. Tertia, per foramen ſecundi paris. Quarta, per foramẽ ethmoïdeων maximum. Hæc autem vaſa meningibus vtique colligata ſparguntur. Arteriæ duæ, & venæ totidem illæ, ſimul ingreſſæ cranium per foramina corωnon, & ſexti paris degenerant mox,

Arteriæ cranium intrant.

Venæ craniũ intrãt quatuor.

† Prima.

aſſumpta obiter vena per foramen poſt maſtoïde ingreſſa, in canales duos dextrum & ſiniſtrũ fiſtulatos in craſſa meninge cerebellum à cerebro dirimẽte, quibus occipitis os foueatũ dat locum. Ad cerebelli verò ſummũ canales hi in vnum coëunt, ſtatimq; rurſus in duos abeunt, per cauatam meningem craſſam, quà cerebrum ſeparat dextrum à ſiniſtro, & oſſa occipitis, bregmatis, frontis foueata, fertur vſque oſſa ethmoïdea, ramulis obiter plurimis deorſum etiam in tenuem meningem & cerebrum, paucis ſurſum per ſuturas dimiſſis: partim per craſſam meningem ſummum cerebellum à cerebro ſeparantem rectà deflectit ad gloutia, ac inde in cωnario ramoſiſſimè diſtribuitur in tunicam chωroide ex tenui meninge ortã, ventriculos cerebri pererrantem, paſſimque integentem. Sed ab hac parte ramus inſignis per craſſam meningem profundiſſimè cerebrum anteriùs diuidentem, fertur vſq; oſſa ethmoïdea. Ex his ductibus quidam venarum, alij arteriarum, alij ambarum munere funguntur: non modo cùm in craſſa meninge cauantur,

ſed cùm in tenuem meningem & cerebri ſubſtantiam, & ventres paſſim inſinuantur fere ſemper, quibus ſuis partibus tria illa his ductibus propinquant.

Venæ iugularis, portio minor.

Venæ iugularis portio minor, ramulo in auditus organum immiſſo, cranium ingreſſa, in ſimilem prædictis canalem in meninge craſſa ceſſat, quæ illam & tenuem meningem per cerebri baſin, & latera vſque irrigat ſurculis variis. Vena per foramen ſecundi paris, & per maximum foramen ethmoïdeon oſſiū ſimiliter in craſſam meningem ceſſat, & diſtribuitur excauato intus vbique cranio, quà hæc vaſa tangit.

Arteria per foramen magnum ad choanam recepta, mittit indidem ramulum in nares, & naſum, per foramē exile ſed proprium: mittit & ramulum venæ attenſum, qui in canalem craſſa meninge factum ceſſat: poſtremo tota in duos inſignes ramos abit, qui antrorſum ſuper cranium pauliſper progreſſi vniuntur, mox diuiduntur rurſus: & ramo minore per ſecundi paris foramen in oculum, & internum latus crotaphitæ deſinit: maior craſſam meningem perforat, prope glandulam pituitariam,

tuitariam, & mox in duos ramos abit: vnus in tenuem meningem ſpargitur, alter meninge tenui ligatus, & multipliciter implicatur chorij modo, in ventres cerebri abſumitur, auctus etiam choroïde priore. Qui plexus Galeno vnus ſub glandula, & in brutis adhuc hodie apparet.

SCHOLION.

Quod accidit aduerſariis diſiectis aut ſuſque déque in faſciculum coactis, hic euenisſe quodammodo videtur, vbi diſtributiones ac fibræ è ramis arterialibus exeuntes, ante eas quæ è trunco traduntur. Quæ etiam cranium intrant, ad finem huius cap. poſt arterias iliacas explicantur. Sanè vel authoris ſola verba, ſatis innuunt, eundem in his illi fuiſſe animum, eandemque in animo methodum quæ in vena caua. Quamobrem ſic omnia ſuo loco reddi rectè fortaſſe poßint.

Arteriæ magnæ ſuperioris exeunt.

- Trunco
  - *Coronariæ duæ,&c.*
  - *Carotis ſiniſtra,&c.*
- Ramo
  - *Subclauio.*
    - *Carotis dextra,&c*
    - *Intercoſtalis maior*
    - *Intercoſtalis minor*
    - *Mammaria,&c.*
    - *Ceruicalis,&c.*
    - *Muſcula,&c.*
  - *Superclauio.*
    - *Humeraria duplex*
    - *Thoracica duplex.*
    - *Axillaris,&c.*

Arteriæ cranium intrant cum venis,duæ vtrinque: prima ceruicalis, vt authore ſunt pag. 80.*ad finem vſque cap.*

Arteriæ magnæ inferioris exeũt

- Trunco
  - *Phrenicæ duæ, &c.*
  - *Cæliaca, &c.*
  - *Meſenteria ſuperior.*
  - *Renalis, &c.*
  - *Spermatica, &c.*
  - *Meſenteria inferior.*
  - *Lumbaris, &c.*
  - *Ilia, &c.*
- Ramis duobus Iliis.
  - *Muſcula, &c.*
  - *Sacra, &c.*
  - *Hypogaſtria, &c.*
  - *Epigaſtria, &c.*
  - *Pudenda, &c.*
  - *Cruralis, &c.*

DE NERVIS.
CAP. VI.

NEruus, eſt pars in nobis ſimplex ex humido muccoſo facta, & nutrita, alba, ſentiens tantum, aut etiã mouẽs, ambabus meningibus quadantenus tecta, dum à cerebri baſi, aut rhachitide oritur, in partem quam adit variè diſpergitur præter opticum.

Gal. lib. 9. vſ. partiũ, & li. anat. neruorum.

Paria neruorũ cerebralium ſeptem.

1 Nerui ſunt optici, id eſt, viſorii, molliſſimi, caui, meatu ſenſibili, ob quẽ, & vtilitatis dignitatem ſunt maximi: coëunt, mox in oculum ſui lateris abſcedunt, & in tunicã degenerãt amphibliſtroïdẽ, humori vitreo circũdatam. Apophyſes verò cerebri prę-longæ, ad foramina ethmoïdea productæ olfactus ſunt inſtrumenta, de quibus eſt Galeni libellus: neruis autẽ non accenſentur, quia cranio non excidunt.

Olfactus inſtrumẽta.

2 Motores ſunt oculorum, graciles, duri, multiplices: nã ramis ſeptem in totidẽ oculi muſculos abſumuntur.

3 Multiplex, portio prior, craſſior, mollior dat propaginem primam crotaphitis, maſſeteribus, cuti faciei: ſecũdam genæ ſuperioris dentibus, gingiuis, muſculis labiorum: tertiam maiorẽ genæ inferioris dentibus, gingiuis, muſculis labri inferni,

&c in ore latentibus: quartam maximã, &c linguæ tunicam ſaporum diſcretricem diſtribuit: ob id hæc tota Galeno guſtatoria dicitur. Portio poſterior, gracilior, durior, dat propaginem vnam crotaphitis, ſecũdam cuti frontis: tertiã cuti faciei, muſculis labri ſuperni, pterygiorũ externis: quartã nariũ membranę, muſculis internis pterygiorum.

4 Durum, gracile, in palati tunicam abſumitur.

5 Duplex, portio maior in foramen auditorium illapſa partim fit audiendi organũ, partim per foramen cæcum excidit in muſculum latum præcipuè, & in crotaphitas, & in maſſeteras omnes, in quos & altera portio abſumitur, ſed elapſa per foramẽ paruum ſciſſuræ ſecundi paris ſubditum.

6 Inſigne, ramulis in quoſdam colli, & laryngis muſcu- *Coſtalis neruus.*

los obiter diſtributis, propę integrũ in thoracem vbi incidit, ramulos dat muſculis tribus à ſterno & vicina claui aſcendẽtibus: ramum per coſtarũ radices demittit ad partes ventris inferni, quem coſtalem vocamus: alterum ad muſculos laryngis recurrentem †, ſed datis prius ſurculis tunicæ pulmonis, & cordis: tertium inſigniorem in ſtomachũ & vẽtriculum, quem ſtomachicũ neruum vocamus.

SCHOLION.

† *Neruus recurrens, dextra ramũ arteriæ ſubclauiæ: Siniſtra arteriã à corde deorſum reflexã ſubit, & inde vtrinque ad ſuperiora recurrens, per foramina quæ in angulis imis & poſticis ſunt thyroidis cartilaginis, ad ſummum laryngem euadẽs, villos & fibras neruuloſas diſtribuit tũ muſculis, tum lateribus & labris arythenoidis: præſertim verò epiglottidis ambitum fimbriatim id genus villis cingit à quibus illa diſcrimina vocis plenæ, grauis, acutæ, firmæ, tremulæ, vibrãtis, mediæ, imæ, ſummæ, prout arythenois & epiglottis ab eis ciẽtur & reguntur. Diſquiſitionis autem horũm modus in accurata mẽbranæ eius diſſectione cõſiſtit, quæ epiglottidẽ veſtit muſculóſque huius, magna ex parte tam externos, quam internos contegit.*

7 Durum, in muſculos linguæ, oſſis hyoïdis, laryngis reliquos abſumitur, data ad linguæ radicē portione ſui, pari ſexto. Ex his omnium molliſſimi ſunt optici, deĩde tertiũ par, poſt id quartũ, paulò durius ſecũdũ, hoc quintũ, hinc ſextum, horum duriſſimũ eſt ſeptimũ.

Ex his quoque multas habet ceu radices tertia, plures ſexta, quæ in vnum velut truncùm coactæ cranio excidũt, pòſt in partes corporis ſecernuntur, vel diſtribuuntur. Par ſeu coniugatio neruorum dicitur, quia vnus dexter & alter æqualis ſiniſter in neruis omnibus. Paria hæc ſeptem cranio excidunt, per foramina, primum rotunda, ſecundum ſciſſa, tertium & quartũ oblonga, quintum mediocria in oſſe auditorio, ſextum maxima, ſeptimum parua occipitis maximo foramini iuncta. Paria duo prima neruorum, rhachitarum excidunt foraminibus duobus, antico vno, & poſtico altero: vti paria duo oſſis ſacri, & tria coccygis. Cætera paria colli quinq;, & dorſi duodecim, & lumborum quinque, & primum oſſis ſacri vnico foramine ad vtrumque tantum ſpondylum, ſuperiorem ſcilicet ac in-

feriorem ſpectante excidunt, ſed ſuperiori tribuũtur: ſic vt primũ par thoracis, inter ſeptimũ ceruicis, & primum thoracis ſpondylum excidat: primum lumborum par inter primum lumborum, & vltimũ thoracis ſpondylũ: primum oſſis ſacri par, inter quintũ lumborum ſpondylũ, & primũ oſſis ſacri. Ad hæc primum & ſecũdum colli par, vt duo oſſis ſacri & tria coccygis, ex dorſali medulla, & anteriore propaginem emittunt maiorem, ex poſteriore minorem & graciliorẽ. In cæteris nerui tantùm ex medullæ lateribus orti, per vnicum foramen laterale, ſpondylo vtrique commune integri excidunt, mox autem diuiſi ramum minorẽ verſus ſpinas retorquent, maiorem in anteriora deducũt. Nerui quoque partibus vicinis ferè diſtribuũtur, ne in longiore via periclitentur: quàm ſi ingrediuntur mirè teguntur, & muniuntur ad ſecuritatem. Ad ſimilem neruorum ſecuritatem natura oſſium magnas cauitates cauauit, aut perforauit neruis per has tranſituris, aut circa earum baſin neruum inuoluit, eodem modo & tendonem, & vaſa tutò deduxit.

Lib.6. vſ. partium.

1 Propagine maiore, & poſtica, per foramen poſticum primo ſpondylo, & occipiti cõmune egreſſa, abſumitur in paruos muſculos, primo ſpõdylo & occipiti communes, & partem eius qui omoplatã tollit: minore & antica, per foramen anticum primo ſpondylo, & occipiti commune, abſumitur in principium muſculi œſophago ſubſtrati, caput & collum flectentis, quem lõgum vocamus.

2 Propagine maiore, & poſtica ad ſpinæ latus elapſa, ramo maiore per ſurculum paris tertii aucto, in cutim capitis totam abſumitur: minore in muſculos ſecũdo ſpondylo & occipiti communes. *Li. 13. v. ſ. part. de vtroque pari.*

3 Minore, & antica ad latus dentis elapſa, in partẽ ſibi propinquã muſculi longi, par integrum vtrinque excidit, foramine inter ſecũdum tertiumque ſpondylum laterali mox diuiſum: ramo minore in cer-

Paria neruorũ ceruicis ſeptem.

uicem extẽdentes muſculos ſibi propinquos, genam mouẽtes, & collũ totum, caputque retro exigentes: reflectitur maiore antrorſum lato: abſumitur ſurculis, vno in cutim capitis cum portione ſecundi ſpargendo, aliis tribus in propinquos laterales muſculos, & partẽ longi: etiã neruis quartæ, portio hęc paris tertii anterior, miſcetur Galeno.

4 Quartum ſimiliter ortum & diuiſum, ramo minore retro in ceruicis muſculos, & latum abſumitur: maiore & anteriore diſtribuitur ſurculo vno in muſculũ longũ, altero in laterales colli muſculos, tertio cũ portione quinti, & ſexti paris in diaphragma.

5 Quintum ſimiliter ortum & diuiſum ramo minore in muſculos ceruicis opticos retorquetur: maiore & antico, ſurculo vno in muſculum longũ, altero in diaphragma cũ ſur-

culo quarti & ſexti, interdum & ſeptimi, tumque à quarto ſurcul⁹ deeſt, tertio in muſculos tollẽtes brachium & omoplatam, & alios his vicinos.

6 Sextum, ramo poſteriore & minore in muſculos poſticos reflectitur, anteriore & maiore ſurculis diſtribuitur, vno in diaphragma cũ prædictis: ſed portio à quinto pari araneę ſimilis, à quinto memorabilis, à ſexto harũ media, minor ſcilicet quã à quinta, maior quã à quarta, altero in brachia cũ portiones ſeptimi, & octaui paris, & ad omoplatam leuantes muſculos.

7 Septimũ ramo minore in muſculum latũ, & alios vicinos reflectitur maiore miſceturquinto, & ſexto ceruicis, primo & ſecũdo thoracis, ſicque in brachiũ, & manũ abſumitur: ſurculo interdum in diaphragma deſcendentes neruos auget. *Lib. 13. vſ. part.*

Primus, paruus à quinto pari colli ortus in muſculũ deltoide, & cutim illi incũbentẽ articulo vi-

cinã abſumitur. Alii quinq; maiores ab ortu implexi, mox diuulſi, rurſum implexi & diuulſi, per axillã ferũtur, & diſtribuuntur.

Secundus, in muſculum bicipitem, ſub hoc demum delapſus, & tertio magnam portionem largitus, minimam autẽ muſculo cubiti longiſſimo: vbi flexum cubiti attigit, ramo vno ſecundũ radicem, altero maiore ſecundum cubitum ſuper membranam carnoſam delatus, in cutim totam cubiti, & ſæpe manum abſumitur.

Tertius, hoc inferior ſub muſculo bicipite ſimul cum ſecundo delapſus, & miſtus, ſubſtrato muſculo ſurculum largitus, & cuti anteriori brachii alios, cubiti flexũ ante brachii apophyſin internam vbi ſuperauit, quinto miſtus diſtribuitur, vt in quinto audies.

Quartus, omnium craſſiſſimus ſub eodem muſculo, cum vena interna, & arteria delapſus, in poſteriora cõuerſus in muſculos

Nerui in brachium

distribuuntur.

cubitum extendentes, & cutim brachii internam, & externam cubiti, partitus, poſt cubiti curuaturam vno ramo ſecũdum radiũ, altero ſecundum cubitum defertur ad carpum. Vbi diſtribuitur ille ſurculis quinque, pollici duobus, indici totidem, vno medio lateri indicem tangẽti: hic in carpo ceſſat.

Quintus, his inferior inter muſculos cubitum flectentes, & extendentes delapſus, pone internã brachii apophyſin prætervectus, muſculis cubiti internis & manus cũ tertio partitus abſumitur intra digitos, vt tertius ſurculis quinque: tertius quidem duobus in pollicem, totidem in indicem, vno in mediũ, rarò duobus: quintus autem vno in reliquum latus medii, duobus in medicum, totidem in minimum abſumitur: ſed priùs ad medium cubiti oſſis ramum extrorſum miſerat, qui ſurculis quinque in eodẽ digitos ſed externos, abſumitur.

Sextus, omnium infimus inter

cutim, & membranam carnoſam per internam brachii apophyſin delapſus, in cutim cubiti abſumit.

Thoracis 12.

1 Ramo poſtico in muſculos Thoracis, caput propinquum ſortitos.
Antico in manum diſtribuitur & ſurculis obiter vicinis muſculis thoracis largitur.

2 Ramo poſtico ſimiliter diſtribuitur:
Antico ſecundum primã coſtam, vt primum fertur in brachium, ſurculis obiter diſtributis in muſculos thoracis propinquos.

3
4
5
6
7
8
9
10
11
12

Ramo poſtico, vt cætera diſtribuuntur
Antico autẽ in ſpatia intercoſtalia cũ vena & arteria ſecũdũ partẽ coſtę inferiorẽ nõnihil cauatã, feruntur in muſculos intercoſtales ad vſque ſternum in coſtis veris, vſ-

quead muſculos abdominis anticos, in nothis: & ſtatim ab ortu ſingulis ramũ ſexti à cerebro pariſcoſtalẽ ſurculis augẽt, & incumbentibus thoraci muſculis obiter diſtribuuntur.

1 2 3 4 Ramo poſtico, in muſculos rhachitas, & alios ibi capita ſortitos, & cutim eius loci abſumũtur:

Lũborũ 5. 5 Antico, in muſculos epigaſtrii & quoſdam thoracicos ibi caput habẽtes: ſed à pari ſecundo exigua portio ad teſtem deſcendit, cùm neruum neruo coſtali non accepit.

Oſſis ſacri 6. 1 Vt priora, ramo poſtico inter quintũ lumborum ſpõdylũ & oſſis ſacri principiũ exit, ramoque poſtico in capita muſculorum propinqua

abſumitur.
Antico auté neruis cruralibus miſcetur, ſedetiã in muſculos abdominis, &alios quoſdam propinquos diſtribuitur.

Oſſis ſacri. 2 3 4 6 Poſtico foramine & ramo, in muſculos oſſi ſacro foris incumbentes: Antico autem & maiore ſecundi, tertii, quarti paris, vt primi, in crus abeunt.

5 6 Ex duobus infimis in muſculos ſedis, collum vteri & veſicæ virilis, & penem. In fundum autem vteri & veſicæ à coſtali neruus diſtribuitur. Infimum autem dorſalis medullæ in duo diuiſum nuſquam diſtribuitur.

Nerui qui in fęmur totum decurrũt, naſcuntur ex tribus infernis paribus lumborum, & quatuor ſupernis oſſis ſacri: & ſtatim ab ortu miſcentur, minus tamen quàm brachiorum, mox in neruos quatuor præcipuos exeunt.

Nerui fęmoris totius.

1 Primus & ſummus, ſub peritonæo deſcẽdit ad paruũ trochãterẽ, partitus in muſculos cruris propinquos, & cutim cruris internam & externam abſumitur, priuſquã genu attingat.

2 Secũdus & inferior ſub peritonæo per inguẽ deſcẽdit in crus cũ crurali vena & arteria, ramúmque inſignẽ cũ vena ſaphæa, per internũ fęmur ad pedẽ vſque demittit, cuti vicinæ via illa tota ſurculos largitus: trũcus autẽ cum vena & arteria profundus, deſcendit in internos cruris muſculos, ſupra genu etiã ceſſat.

3 Tertius his inferior, ſurculos muſculis penis, & quibuſdã cruris & cuti inguinali p̃ fo-

ramē pubis excidit in vicinos muſculos, abſumitur ſupra cruris medium.

4 Quartus, omnium corporis neruorum craſſimus, ſicciſſimus, duriſſimus, validiſſimus, ex quatuor ſupernis paribus oſſis ſacri ortus, inter os ſacrum & ilium elapſus, partitus capitibus muſculorum propinquis, & cuti natium & cruris vicini: deinde etiam vſque ad genu inter cruris condylos bipertitus, in totam tibiam & pedem diſtribuitur, præter partem eam internam à ſecundo pari intertextam. Ramo enim minore ſecundum peronē delapſo in pedem ſuperiorem digitis ſingulis binos dat ſurculos: maiore autem tibiam ſequente, in plantámque delapſo, digitis quoque ſingulis binos dat ſurculos: ſed ambo rami muſculorum capita, & cutim tibiæ, & pedis obiter adeunt & texunt.

DE MVSCVLIS.

CAP. VII.

Gal. initio de fractur. Hip.

MVſculus, eſt caro ſimplex ſentiēdi mouendíque vim ſortita: vel eſt

motus voluntarii inſtrumentū. Muſculi corpus proprium ſunt villi à neruis & ligamentis deducti, quos caro ſimplex plurima cingit: ob id muſculos, carnem appellat Hippocrates. Atque hæc eſt propria muſculi natura, his ſcilicet tribus cōflata. Venæ autem & arteriæ per hunc, vt partes cæteras diſtribuuntur, vt nutriatur, & viuat. hæc Galenus. Tres igitur tantùm propriæ muſculi partes ſunt ſimplices, neruus, & ligamētum (à quibus & membrana muſculos ambiēs oritur) & caro ſimplex ambobus in villos diuiſis vndique circundata. Cōpoſitæ verò & maximæ muſculi partes ſunt totidem, caput ſeu principium (in quod neruus & ligamētum inſeri ſolent) venter, finis ſeu tendo, ſeu aponeuroſis quę partibus mouendis inſeritur.

Idē ibidē.

Muſculi partes ſimplices & compoſitæ.

Eſt autem quando tres has partes ægrè diſcernas, vt in ſphincteribus, intercoſtalibus & aliis quibuſdā. Quoniā tamē excoriatum murē †, forma imitatur, μῦς id eſt mus ſeu muſculus, & ratione eadem lacertus appellatur. Quāquam horum plerique piſces planos, & rotundos magis repræſentant. Porro

† Aut etiā ἀπὸ τοῦ μύειν Muſculi enim proprium contractio eſt.

muſculum circunſcribit venter præcipuè, à viciniis muſculis facilè ſeparabilis, etiam cum multis, vel capitibus vel tendonibus, & actio vniformis. *Muſculi actio.* Muſculi autem actio propria eſt villorum in ipſius in ſeipſos verſus ſuum caput cōtractio, quæ partem, cui tendo inſeritur, verſus idem attrahit, ſæpe multùm variè pro vario villorum ſitu: ſæpe multum obſcurè, vt interoſſes manus & pedis, & qui penem conſtituunt, & his aſſident, & qui ab hyoïde, in coracoïde, & alii. At ne tot muſculis quot motibus egeremus, muſculi non pauci per ſe motus obliquos edunt, cum oppoſito congenere rectos. Congener autē dexter ſiniſtro ſimili magna ex parte eſt. Muſculo quoque prope omni alter quidem actionis cōtrariȩ author eſt attributus, vt flexori tēſor, adductori abductor, leuatori depreſſor, clauſori apertor. Sphincteres verò & pauci quidā alii antagoniſta carent. Nec tamē numero aut magnitu dine, aut robore sēper pares ſunt muſculi actionum contrariarum effectores: ſed multum inter ſe his tribus variant, pro partis mouendæ pondere, aut actionis vehemen-

tia. Numerus denique muſculorũ corporis totius hic nõ deſcribitur, ſed propemodum alterius dimidii, vt dextri vel ſiniſtri: ex quo reliqui dimidii tot muſculos facilè colliges. Linguę tamẽ, hyoïdis, epiglottidis, laryngis, & paucarum partium aliarum omnes ſimul explicantur, vt qui ſunt azygos, diaphragma, ſphincteres. Muſculorum differentiæ aliæ, poſt cognitam ipſorum hiſtoriam faciliùs cognoſcentur, quæ ab ipſorum ſubſtantia carnoſa, neruoſa, membranoſa magis: magnitudine, vt magnus, longus, latus: numero partiũ, vt biceps, triceps: totoue, vt gemelli, trigemini: figura, vt deltoides, rhomboides, ſcalenus: à parte, vt crotaphitę, rhachitæ: ſitu, vt antici poſtici, interni, externi: actione, vt ſphincter, maſſeter, flexor, tenſor: connexione tam muſculorum totorum, quàm partium ſuarũ. Quæ verò hîc deſiderare poſſis, ex Gal. lib. de motu muſculorum, & de vſu partiũ ſubſtitues, paruo negotio: præſertim ſi te priùs in ſecandis ſimijs, ſecundum præcepta in adminiſtrandis anatomis tradita, & in Galen. myotome de ſimiarum muſculis exercueris: *Muſculorum differentiæ.*

niſi fortè tibi magna eſt cadauerũ humanorũ poteſtas, in quibus ſolis exercitatus, corporis humani naturam breuius & certiùs, quàm ex ſimiarum collatione cognoueris. †

† De muſculo lato infra proximè dicetur, muſculis tũ cilii, tũ labrorũ: & ſupra quoque dictum eſt in cap. de Mẽbran.

Oculũ. 7 muſculi
- Surſum, vnus ſupernè.
- Deorſum, vnus infernè.
- Verſus naſum vnus, ad magnũ canthum. } ſitus.
- Verſus zygoma vnus, ad paruum canthum. } ſitus.
- Circumagentes duo: vnus à magno cãtho ad parũ supernè porrectus: alter infernè à paruo cãtho ad magnum extenſus.

SCHOLION.

Muſculorum oculi anatomen verò propius obſeruauit & tradidit Gabr. Fallopius med. Mutinenſis, apud quem quatuor ſunt qui rectis motibus præfecti, eam originem quidem atque inſertionem plane

habent quas Anat. omnes illis tribuunt, quique ſi omnes ſimul agant, oculum trahunt intro ac ſiſtunt. Flectentium verò in gyrū primus lōgior & gracilior reliquis, in angulo interno ſitus oritur indidè vnde is qui oculū recta ad angulū internū trahit: Cum verò ad anguli fere marginē peruenit, cui lacbrymalis carūcula ſubiecta prominet, in chordam tereti gracilēque deſinens, eam trochleæ obuoluit, & chorda reflexa ad angulū rectum verſus regionem ſuperiorem oculi in illum inſeritur, inter inſertiones muſculorū, quorum alter ſurſum, alter verò ad angulum exteriorem recta oculum trahit. Hic quintus muſculus dum intro ad principium trahitur, chorda ſua, circulari quodam motu oculum ipſum ad angulum internum obuoluit, cui opponitur Sextus qui in parte inferiore orbitæ, oritur ab ea rima quæ ceu ſutura apparet, facta ab illa ſquāmaoſſea, ſub qua latēs neruus 3. paris ad malas exteriores per foramē ſatis amplū tranſmittitur: aliquādo etiā oritur quaſi in exteriori margine ab ea ſutura parte quæ in orbita inferiori apparēs, coniungit primum os malarū cum illo quod omniū maximū eſt. Ab altero ergo ex dictis locis parū intra ambitū exteriorē hic muſculus carnoſo principio ortus, gracilis & teres, per tranſuerſum ad angulū exteriorem aſcendens, oculūque tranſuerſum amplexatus, breui chorda in ipſum inſeritur, tū prope inſertionem quinti dicti muſculi, vt amborū vna & eadem chorda plerunque eſſe videatur. Et hic oculum ad angulum exteriorem in gyrum voluit.

Oculũ intro { Vnus in duo vel tres diuiduus, neruum opticũ ambiens, in durã oculi tunicã prope dimidiã inſerit⁹. Primi autẽ quatuor ſimul contracti, ſua aponeuroſi oculũ ad iridẽ ambiunt: & omnes ab optici craſſa meninge, vel pericranio propinquiore oriuntur.

Ciliũ ſupernũ. 2 { Surſum vnus, à naſi radice in vicinum tarſi dimidium. Deorſũ, vn⁹, à malo per cãthũ paruũ in alterũ tarſi dimidiũ. Sed dicere poſſis villos ciliũ tollẽtes, à muſculo ſa cute frõtis & ſuperciliorũ, deprimẽtes verò à lato muſculo (qui totus eſt ſimilis capitio equitantiũ, ſi eius tãtum auferas, quãtũ pileolo tegitur) prodire, cui faciẽ propè totã, & collũ totũ tegẽti ac mouẽti originẽ dat mẽbrana quædã neruoſa toti noſtræ cuti ſubnata, hic, vt in frõte & capitis parte aliqua, carnoſior effecta: in ciliis enim præ paruitate viſui obſcurus etiã in magnis animalibus eſt hic muſculus.

Muſculus latus. Hic eſt exterior & in naſi pinnã externã inſeritur & nares dilatat. Alter eſt interior perexiguus nec conſpicuus niſi in egregie naſutis: ab interiore cartilagine in

Pterygiũ. 2. { Foras, vnus obliqu⁹ à malo deſcendens. Intro, vn⁹ minim⁹ à nare interna.

{ Surſum, bini vtrinque, à malo deſcẽdẽtes in labrũ, duo ſupernũ

totidem infernum. *exterioris marginē, nares contrahit.*
Deorſum, bini vtrinq;, à mēti laterib⁹ aſcēdentes, in labrū, duo ſupernū, totidē infernum. Horū cōgeneres duo, dum ſimul agunt, labrum motu recto mouent: dum alteruter tantùm, obliquo. Adhæc villi tollentium labrum ſupernum & deprimentium infernum, interni quidē intro verſus dentes, externi verò foras verſus cutim labra euertūt. Hos propè omnes labri vtriuſq; motus nō parum iuuat muſculus latus, ab aurium radice, occipite, ſpinis omnibus ceruicis, ſpina omoplatę, acromio, claui, ſterno exortus: totus tenuiſſim⁹, in faciei partes propè oēs villis à tam diuerſa origine variis inſertus, eaſq; ob id in omnē propè partem moturus.

Muſculi latiortus.

Muſculi mouēt labra 4.

Ge-
nã in-
fernã.
7

Surſum quatuor vtrinque. Crotaphitæ duo, à tota temporum cauitate ſub zygomate in totum huius genæ coronon.

Maſſeteres duo, bicipites, quorum caput vnũ, à malo, villis in partẽ genę poſteriorem emiſſis, hãc mouet antrorſum. Alterum, à zygomate villis iſtos in χ literæ ſimilitudinem interſecãtibus, in genam anteriorem immiſſis: eam retrorſum: ſimul verò agentibus villis vtriſque, motu medio genam tollit.

Rotundi duo, à genę ſupernæ gingiuis omnibus in genæ infernę gingiuas omnes oris tunica tecti.

Parui duo, †inter hos medij latentes, à cauo pterygoïdis apophyſios toto, in genæ infernæ partem latiſſimam intus inſeruntur. Iidem cum lato buc-

† Qui vulgò delitefcẽtes in ore inter rotũdos medij dicuntur, quo modo & dẽtes & lingua inter hos media dici poſſunt.

cas, immota etiam gena, mouent.

Deorſum, vnus vtrinque gracilis, in medio neruoſus, à ſtyloïde in mentum interiùs, ſtatim poſt genæ flexuram, inſeritur.

Muſculi Linguam mouent:

Surſum, duo, à ſtyloïde in linguæ latus.

Deorſum, duo, à gena inferna, quà ſunt molares in linguæ latus infernè.

Antrorſum, duo, à mento interno ad linguæ radicem.

Retrorſum, duo magni, contigui, villis omnibus intertexti ab hyoïdis baſi in linguæ partem infernam.

Dextrorſum vnus, ſiniſtrorſum vnus, ambo ab hyoïdis cornibus ſupernis, aliquãdo infernis in linguæ latera inſerũtur.

5

Muſculi mouẽt.

Hyoides. 4.

Surſum, duo, à ſtyloidis radice in hyoidis cornuum principium.

Deorſum, duo, à coracoide in idem cornuum principiũ: in medio neruoſi: omoplatam quoq; leuant Galeno.

Antrorſum, duo, ab interno mento, ab hyoidis radicem.

Retrorſum, duo, à ſterno ſecundum aſperam arteriã in hyoidis radicem: quos hyoides deorſum mouere Galenus ſcribit lib. 7. de vſu par. Hi omnes nullo alio oſſe firmatum hyoides, firmant vndique veriùs quàm mouent.

Epiglottidẽ. 2.

Surſum, duo, contigui à radice hyoidis in] radicem poſticam epiglottidis.

Deorſum, † duo, ſub ip-

Ab internã baſi & par-

ſius tunica tecti, in magnis animalibus manifeſti,in homine obſcuri: vt quos ad pariſthmia ſitos,deglutitionem iuuare ſcribit Galenus. *tibus aryteṇoidis intus cum termi-nis,in latera epiglottidis interna.*

Laryngem. 4 — Surſum,duo, ab hyoïdis radice, in thyroidis baſin. Deorſum,duo bronchii, à ſterno interno ſecundum aſperam arteriā in thyroidis baſin,quam contrahunt, & cum ea aſperam arteriam.

Dextrorſum, vnus: ſiniſtrorſum,vnus:ambo à colli ſpondylorum regione in thyroïdis latera, qui ad innominatam contrahunt, & laryngis meatum conſtringunt. Hi ſex vt prædicti octo hyoïdes, ac ſeptimus oculum, thyroïde etiam confirmant. Sunt autem hi ſex muſculi communes thyroïdi cum vicinis partibus: quibus bronchios addit Gal. ſicque octo numerat.

Duo ab innominata antica.[1]
[2] Duo,ſub his ab innominata poſtica,in anticam & infernã thyroïde.
Duo, ab innominata poſtica in poſticam arytenoïde.
Duo, ab innominatæ lateribus, in latera arytenoïdis,quã hi quatuor claudunt.[3]
Duo,à thyroïde media interna in anticã arytenoïdẽ, quã claudunt.[4]
Duo, ab arytenoïdis poſtica baſi in eiuſdem baſin anticã, quam comprimunt. Larynx namque tribus his cartilaginibus conſtat, thyroïde antica,poſticis autem innominata & incumbente illi arytenoïde: quæ quidem mobilis eſt, vt thyroïdes:ſola autẽ innominata immobilis eſt: in eáque multi ob id firmantur aliarum duarum muſculi: qui quidem quas inuicem iungãt cartilagines,thyroïde cum innominata vel arytenoïde, aut innominatam cum arytenoï-

Laryngis 12. proprij muſculi.

1 In poſticæ thyroïdis partes angulares imas oblique feruntur & introrſum inſerũtur.
2 Hos plerique à prioribus non diſtingunt.
3 Aut potius dilatãt, hi quidẽ diducẽdo in latũ: Illi in longum, verſus poſteriora.
4 Aut etiã ad rimæ anguſtæ modũ arctant, tendendo in anteriora.

de ex prædictis illorum tum originibus tum inſertionibus conſtat.

Muſculi

Caput

Extendunt. 8

Splenij duo à ſpinis quinque thoracis ſupernis & quatuor infernis ceruicis, circa quintã abſcedũt in occiput.

Complexi duo (quorum vtrũq; in duos, tres, quatuor, diuidere poſſis) ex apophyſi tranſuerſa tertia, quarta, quinta, thoracis & ſpina ceruicis vltima in occiput.

Par uiocto

Recti quatuor: quorum duo à ſpina ſpõ-

Muſculi

dyli ſecundi,& totidē ſub his minores,à parte poſtica ſpōdyli primi: omnes quatuor in occiput medium.

Obliqui quatuor, quorū duo à contactu rectorum ex occipite in apophyſin tranſuerſam primi ſpondyli. Duo reliqui ab eadem apophyſi in ſpinam ſecundi ſpondyli. Hi omnes triāgulū æquilaterum vtrinque conſtituunt.

Flectũt 2

Maſtoïdei duo, (vterque in tres diuiduus) à ſterno ſummo, & parte clauis vicina, in apophyſin maſtoïde, oblique inſerũtur, & caput motu recto ſimul ambo flectunt: alteruter ſolus circũagit.

Extendunt. 2

Transuerſarii duo, à radicibus apophyſeõ ſex tranſuerſarum thoracis, in omnes tranſuerſas ceruicis externè.

Spinati duo, à radicibus ſpinarum ſeptem ſuperiorũ thoracis, & prima ceruicis, in reliquas ceruicis

Collũ.

ſpinas. Quos quatuor in duos Galen⁹ reduxit.

Longi duo, à ſuperioribus ſpõdylis quinque thoracis, ſub œſophago per totã ceruicem villis obliquis aſcẽdũt vſque occiput, cui obſcurè inſerũtur, ipſũque ob id etiam flectũt Galeno.

Flectunt.

Scaleni duo, ab oſſe toto coſtæ thoracis primæ in omnes ceruicis apophyſes trãſuerſas internè inſerti, uillis omnibus obliquis, ſed breuiſſimis, à coſtæ radice in proximas apophyſes, longiſſimis

à coſtæ fine in primi ſpondyli apophyſes, mediis propinquorum quantitatē imitantibus.

Antrorſum, ſerrati duo: maior ex oſſibus coſtarũ nouem ſuperiorum, longius quàm ex ſpatiis in totam omoplatæ baſin, thoracē quoque dilatare videtur: minor ex oſſe coſtarum quinque interdũ ſex ſuperiorum, in coracoide internum.

Muſculi omoplatã mouẽt 6.

† Retrorſum, Rhomboïdes vnus, à tribus ſpinis infernis ceruicis, & trib⁹ ſupernis thoracis, in totã ꝑpè omoplatę baſin. Geminũ hũc facit Galenus.

Surſum, duo: vnus trapezius, ab occipite toto, ſpinis omnibus ceruicis, octo ſupernis thoracis, in totam omopolatæ ſpinam, vſque

† Hũc quidam nomine Trapezii appellãdum contẽdũt: alterũ verò nomine Rhomboidis. Et eorum ſententiæ fauet iſtarum dictionũ etymon.

acromiõ,&baſin propè totã. Hic etiã deorſum,& retrorſum, villis aliis eã trahit: eſtque hic ſimilis mulierum collario.

Alter leuator ꝓprius ab apophyſi trãſuerſa primorũ quatuor ceruicis ſpondylorũ in angulum omoplatæ ſuperiorẽ ad vſque ipſius ſpinam.

Addi poteſt qui ab hyoide in coracoide inſeritur, & qui ab apophyſi trãſuerſa primi ſpondyli, in omoplatę finem ad acromion: & pars editior pectoralis.

Deorſum, vnus latiſſimus à ſpinis oſſis ſacri, lumborũ, & nouem thoracis, & parte multa oſſis ilium, in omoplatæ angulũ inferiorem per membranas obiter inſertus parte aliqua ſui. Nam tẽdone robuſto † brachium propè totus deorſum trahit. Deorſum omoplatam mouet etiam pars inferna trapezii, vt media retrorſum, ſumma ſurſum.

† Quo inſeritur in os brachii ſub eius ceruice, propè inſertionẽ muſculi pectoralis.

Antrorſum, duo: vnus pectoralis à claui pluſquã dimidia, ſterno propè toto, coſta 6.7.8. in

brachii os inter deltoide, & bicipitem: Galeno in quatuor diuiſus: Alter ab omoplatæ ſima parte tota. 1

Retrorſum, duo: vnus ex maxima parte coſtæ in omoplata imę: ſeu ex inferno fine coſtæ in omoplata imæ. 2 Hic etiam parũ mouet deorſum. Alter illi contiguus, coſtæ eiuſdem partem ſimã articulo proximã occupãs, 3 qui tamen brachium magis deorſum mouet, quam retrorſum: vt qui ex vtraque parte ſpinæ in omoplata ſunt, magis ſurſum quàm retrorſum mouent brachium, & ſumma portio latiſſimi retrorſum magis quàm deorſum.

Surſum, duo: vnus deltoides, à claui dimidia, & tota omoplatę ſpina & acromio. 4 Alter à cauitate ſupra omoplatæ ſpinam, inter acromion & articulum in brachii ceruicem inſeritur: Tertium addit Galenus à cauitate ſub eadem ſpina. 5 Ex tribus his muſculorum coniugationibus, priores longiùs in brachium, po-

1. Ab omopl. tota baſi, eam cauitatẽ oplens, qua coſtis applicatur, in brachii caput & ceruicem, ſub fiſſura.

2. In brachium ſub tendone muſc. latiſ.

3. In brachii latus externum, tendone ſatis robuſto.

4. In medium brachium, valido tendone.

5. In cap. brachii parte ſuperna, ac fortaſſe tollendo euertit.

ſteriores latiùs in brachij ceruicem inſeruntur: & hi brachium magis quàm priores circumagunt actionis cuiuſque quadã ſucceſſione.

Deorſum, paruus ex coſtæ in omoplata imæ ſima parte, qui etiam retro parum mouere dictus eſt. Brachium quoque cùm vi maiore opus eſt, deorſum trahunt, prior eorũ qui retrorſum agit, & partes pectoralis, & latiſſimi infimæ.

Muſculi in brachio ſiti, cubitum Flectũt. 2

Vnus biceps principio vno, ex omoplatæ glenes labro, per brachij fiſſuram, altero ex coracoïde in radium ſummum intus, † qua parte eſt aſperior & tumentior.

Alter brachięus, à brachio ſuperno, cui ſub bicipite affixus eſt, in ſummum radium & magis in cubitum intus, quà colligantur ambo.

† Aliquãdo & in radium & in cubitũ.

Extē- dunt. 2 — Vnus lōgus à coſta interna omoplatæ, brachio hærens.

Alter breuis, à ceruice poſtica brachij, priori connatus & ſubiectus: ambo tendone foris carnoſo, int⁹ neruoſo, in olecranū inſerūtur.

Muſculi verò ſiti in cubito, interno quidem radij pronatores duo, carpi flexores duo, digitum flexores duo, palmaris vnus paruus: à brachii interna apophyſi omnes orti, præterquàm radii pronator paruus.

Externo autem cubito, radii ſupinatores duo: carpi tenſores duo: digitum tenſor multiplex, & in plures diuiduus, vt mox audies. Hi ab externa apophyſi oriuntur, vt illi ab interna, præter quadratum pronatorem, & longum ſupinatorem.

Pronant. 2 — Vnus rōtūdus ab interna brachii apophyſi, obliquè in radiū propè medium tendone membranoſo ceſſat.

Muſculi radiũ & cũ eo manũ.

Supinăt. 2.

Alter quadratus, tenuis, ab imo cubito in imum radiũ, tẽdone etiam mẽbranoſo.

Vnus longus, à brachio ĩferno, & externo toti radio, & eius imæ epiphyſi inſeritur carnoſus.

Alter à brachij externa apophyſi prope olecranum, in radium ſupra ipſius mediũ.

Flectunt, duo interni ſimul cõtracti.

Vnus infernus à brachij interna apophyſi ortus, cubito oſſi attẽſus, tandẽ ſuo tendone craſſo ſuper os carpi dictũ nunc quintũ, nunc octauum, & per radicẽ externam apophyſeos oſſis in carpo ſuſtinẽtis os metacarpij tertium & quartũ, ĩ hoc vtrũq; inſeritur.

Muſculi

Alter ſupernus, à brachio ſublõgo ſupinatore ort⁹, radio inter-

Carpum — no inuectus per cauitatem in oſſe carpi pollicem ſuſtinente, vnico tendone fertur in os metacarpii primum.

Extendunt duo externi ſimul cōtracti.
- Vnus † ſupern⁹ à brachii externa apophyſi ortus, radio inſtratus, tendone vno quidem in metacarpii os primum, altero in ſecundum inſeritur.
- Alter infernus indidem natus, cubito externo inſtratus, tendone vnico in metacarpii os quartum inſeritur.

† *Hic aliquando eſt duplex.*

Motus carpi obliquos edunt iidem muſculi, ſurſum quidem ſuperni ambo ad radiū ſiti, deorſum verò inferni ambo ad cubitum locati. Horum autem ſinguli efficiunt ſingulos motus, rectorum ſeu flexionis, & tenſionis, & obliquorum, medios: vt leges in Annot. in lib. Gal. de vſu partium.

Vnus Sublimis, in quatuor tantum tēdones abit, qui digitorum quatuor, articulos duos primos flectunt.

Alter profundus, radio & cubito, & medio horum ligamento membra-

Muſculi Sublimis tendones in ſuis ad articulos ſecundos di-

† His quidã accenſent Palmarem qui à tubere interno brachii lõgo tendone & gracili ſertur in vo la manus.

† Interoſſes tum internitũ externi ſunt & pariter omnes à partibus lateralibus oſſium metacarpii.

Lumbrici à lateribus tendonum muſculi profundi.

† Huius Recentiores originem

† Digitũ flexores duo, intra cubitũ ab interna brachii apophyſi.

noſo affixus, in tendonesquinque abſumitur, qui digitorum quinque articulos omnes quo modo proximè dicetur flectũt.

Primam, actione robuſtiſſima egẽtem, digitum flexores ambo, tum per ligamẽtum latum ipſis commune, tum per villos plures multo à ſublimi, quàm à profundo oſſi huius phalangis propè toti affixos. Hãc flexioné cœptã firmant † lũbrici & interoſſes & indicis adductor, parui abductor muſcul⁹.

Phalãgẽ quatuor digitorũ flectũt.

Secundam, digitumflexores ambo, ſublimisquidem ſua inſertione in huius principium: profundus autem tum ligamẽto lato, tum villis ſuis multis in multam partem oſſis inſerto.

Tertiam, digitumflexor maior ſua inſertione in huius principium.

Primam & ſecũdam per ligamenta, tertiam per inſertionem, † tendo quintus à digitũflexore profundo.

2

Phalā-gē pollicis flectūt 2 Primam & ſecūdam pręcipue, tertiā minus duo muſculi thenarcōſtituentes: ſua enim portione interna illis inſeruntur: externa verò tumentior quidē pollicē ab indice abducit, planior verò indici adducit: ambo in tres †diuidui.

aliúde volāt quàm à digitū fl. profundo, dučūtque ab interna & ſuperna radii parte.

† In thenar ſcilicet & duos ſpatium pollicis ac indicis mediū opplentes.

In cubito externo inter radiū, & cubitum intimus muſculus, portione vna in latus externum, & velut angulū totū quatuor digitorum inſertus, ipſos abducit, portione altera in medios eorū articulos foris inſerta ipſos extēdit: portione tertia per tendonem minimū pollicis velut toti angulo inuectū, pollicē indici adducit: per aliū paulò maiorē angulo oppoſito inuectū, pollicem abducit: per ambos ſimul contractus pollicē extēdit. Per tertiū verò tendonē horum omniū craſſiſſimū, in primum pollicis articulū bipertito aut etiam tripertito inſeritur, eūque partim extēdit, partim abducit. Horūque digitorum adductionē, & abductionem iuuant muſculi interoſſes, gemini per ſingula oſſium metacarpii interualla: & proportionales his duo in-

ter indicem, & pollicem. Qui verò pollici craſſior inſidet, 2 ab indice abducit, vt qui quarto metacarpii oſſi foris affixus eſt, 3 paruum abducit. Horumque omnium tendones qui ad tertium perueniunt articulum (perueniunt autem propemodum omnes, vt in Annot. in lib. 1. vſus par. docemus) hi ſuorum villorum portionem in ſingulorum phalangum principium dimittunt, ob id graciliores ſunt, quà tertiam phalangē attingunt.

SCHOLION.

Quem hic vnicum muſc. Syluius multarum actionū authorem: vulgus Anatomicorum in tot numero & origine quot functiones diſtinguit, Sicque

Ex. 1. portione ſtatuit, muſc. vnum digitorum abductorem, à media ſuperna & externa cubiti parte ortum.

Ex. 2. alterum, quem ſolum digitū inteſorem indigitat.

Ex. 3. Pollicis adductorem, indidem ortum vnde abductor digitorum.

Ex. 4. Pollicis tenſorem à media & externa radij parte in omnes eius articulos oblique.

Denique pollicis abductorem efficiunt illum muſculum, cuius hic loco vltimo tendo dicitur tertius omnium craſſiſſimus, eiuſque principium ſumunt à parte fere media tàm cubiti quàm radii.

2. *Thenar ab oſſe carpi pollicem ſuſtinente in omnes pollicis artic.* 3. *hypotenar ab oſſe quarto meta-carpij & ab oſſe mobili in vltimam minimi digiti articulationem ad vnguis radicem vſque extrinſecus.*

Vnus, ex claui interna, & antica in primæ coſtę cartilaginem ad ſternon vſque.

Alter, ſerratus maior, exomoplatę baſi tota interna in coſtarum nouē ſuperiorum oſſa longiùs quàm in ipſarum ſpatia.

dilatāt inſpirādo.

Tertius, ex ſpinis ceruicis tribus infernis, & prima metaphreni in ſpatia tria coſtarum quatuor ſuperiorum lōgius, quàm in ipſas coſtas.

Quartus, ex ſpinis lūborum ſuperioribus, & duabus aut tribus metaphreni inferioribus, in 4. coſtas inferiores longiùs quā in ipſarū ſpatia.

Hi ambo tenuiſſimi, rhomboides, ſerrati, poſtici.

Muſculi thoracæ.

Intercoſtales externi ex coſtę inferno latere in ſubditæ coſtæ latus ſupernum obliquè antrorſum feruntur.

Cōtrahūt expirādo 3

Vnus, ex ſpinis oſſis ſacri, lumborum, metaphreni totius, ſibi continuus in coſtas 12. propè ipſarum radicem.

Alter, triangulus à ſterni lateribus internis in totas verarum coſtarū cartilagines, eas in ſternō adducens.

Intercoſtales interni, ex coſtæ ſuperno latere in ſuprapoſitæ latus infernum obliquè antrorſum inſeruntur, & externos vbique in χ literæ formā interſecant. Sed inter verarum coſtarum cartilagines, villorum ſitus eſt dicto contrarius vtriſque intercoſtalibus.

Has thoracis actiones multùm iuuant, tum phrenes ſeu diaphragma, tum muſculi octo epigaſtrii. Diaphragma liberæ reſpirationis inſtrumentum muſculus eſt rotundus, admodum obliquus, cui caput in medio eſt, fines vndique thoraci interno adnexi, vt etiã duabus aponeuroſibus in lumbos longius decurrant. *Diaphragma.*

Muſculorũ epigaſtrii quatuor paria.

1 Obliquum deſcendens, ex ſerrati magni contactu, ſeu ſpatiis inter coſtas ſex inferiores longiùs, quàm ex ipſis coſtis, in os ilium & pubis inſeritur.

2 Obliquum aſcendens, ex vtroquo hoc oſſe & ſpinis tum oſſis ſacri, tum lumborum fertur antrorſum, in fines coſtarũ quatuor inferiorum.

3 Rectum, ex oſſe pubis antico in ſterni latera & ipſi articulatas coſtarum inferiorum cartilagines.

4 Tranſuerſum, ex trāſuerſis lumborū apophyſibus in os iliū & pubis, & notharū coſtarū fines. Sic ordine naturæ deſcribit Galenus lib. 6. methodi, & lib. 5. adminiſt. Rectos autem primos explicat loc. affect. 5. cap. 6. & li. 5. vſus partium: quòd illic tres alios ad rectorum contactū, in aponeurosin degenerare, hic alios tres ex rectorum collatione nomen habere doceret: ne illum negligentia, aut ignorantia lapſum exiſtimes. Accedunt ſæpè in viro & muliere duo parui plerunque inæquales, ab oſſe pubis externo in partem infernam rectorum, his velut ſuccenturiati. Quomodo quibuſdā duo ſæpè inequales, ſæpe vnicus, & is ſiniſter frequentius quàm dexter, à ſummo ſterno ſuper pectoralis capita à ſterno exorta deſcendit.

Muſculi alii duo parui.

Flectūt. 1 { Vnus vtrinque, triangulus, ab oſſis ilium coſtæ multa parte in apophyſes trāſuerſas lumborum, & infimi thoracis ſpondyli internè villis obliquis

&hic

mu ſcu li lũ bos Extendunt.

& his, quò altius aſcendunt lõgioribus, breuiſſimis autem in lumborũ finem inſertis.

Vnus ſemiſpinatus, à ſpinis omnibus oſſis ſacri, & lumborum, ín apophyſes lũborum & thoracis totius tranſuerſas, villis obliquis inſeritur.

2 Alter ſacer, ſub prędicto ex oſſis ſacri lateribus in ſpinas lumborum & vndecim thoracis villis obliquis.

Rhachis antrorſum, ab anticis ambobus, retrorſum à poſticis ambobus, niſi vnicus eſt omnino medius, in latera à binis: vnius lateris antico vno & poſtico altero: in medium motus recti & obliqui ſitum ab ſingulis mouetur: ceruicis quidem rhachis, vt ſuo loco dictum eſt: lumborum verò, vt nuper audiſti: metaphreni autem ſeu thoracis rhachis, ob coſtas & muſculorum penuriam parum eſt per ſe mobilis: cum ceruice tamen ſuperior, & cum lum- *Rhachis à quibus moueatur muſculis.*

bis inferior obſcurè mouetur: adiuuantibus eius motum muſculis quibuſdam, etiam thoracis ſpondylos tangētibꝰ, ſupernos quidē lōgis, ſcalenis, trāſuerſariis, ſpinatis: infernos autem lumbaribus, tam flectentibus quàm extēdentibus, thoracis inferiora tangentibus: quorū propè omniū villi ſunt obliqui. Sed qui ab vndecimo thoracis ſpōdylo ad primum aſcendit per medios, eorum omnium ſpinas omnes & totas complexus, & ſolis ſpinis & membranis inter has mediis dexter à ſiniſtro ſecretus, villos habet rhachitarū omnium maximè rectos. A ſingulis quoque apophyſibus tranſuerſis ſpondylorū in ſpinas ſingulas proximè ſuperpoſitas abeunt ſinguli.

Muſculus ſedē.
- Leuat 1: Vnꝰ, quē in duos aut tres diuidere poſſis, à tubere iſchii interno in tunicam externā inteſtini recti lōgulè deſcendit.
- Claudit 1: Sphincter villis tranſuerſis ipſius fini circundatus: qualis eſt alter veſicæ collo, poſt proſtatam

glandulam circũdatus, ipſum etiam claudens & contrahens.

A tubere iſchii interno muſculi duo aſcẽdunt: vnus mox latus ſed tenuis, bonam penis partem conſtituens.

Alter ad meatum vrinariũ, vbi dexter ſiniſtro ſupernè vnitur, infernè dehiſcit.

Muſculus quoque gracilis, lõgus, cũ vaſis ſpermaticis à muſculis hypogaſtrii deſcendit ad teſtes, ipſos releuans. Inſunt quoque vtero corpora muſculoſa ad teſtes deſcẽdentia. Gal.lib. 14.vſus part.

M. crus Flectũt. 2

Vnus, à lumborum apophyſibus trãſuerſis omnibus in trochantera paruum anticè, quẽ poſſis duplicem ſtatuere: ψόας vocant Hippocrat. & Galen.

Alter, à tota cauitate interna oſſis iliũ ſuper cruris caput & ceruicem deſcendit in eundẽ trochantera paruũ, tendone robuſto ex vtroque coacto. Hunc motũ adiuuãt muſculi

in crure antico tibiam tendẽtes, orti ab oſſe pubis, iſchii, iliũ, & obiter in crus portione quadam ſui inſerti.

Muſculi crus extendunt.

Tres natium authores, validis tendonibus foris carnoſis, intus neruoſis.

Primus, extimus & ampliſſimus, à coccyge oſſe ſacro, ſuperna iliũ coſta pluſquam dimidia, villis obliquis iń os cruris palmũ ſub trochãtere magno (cui etiam obiter affigitur) longulè inſeritur.

Secũdus, ſitu & magnitudine medius (nã breuior, tenuior, anguſtior) à labro coſtæ ilium propè totius, in ſummum trochanteris magni coronon, & ſuperficiem eius externam.

Tertius, horum breuiſſimus, tenuiſſimus, anguſtiſſimus, intimus, ab eadem oſſis ilium facie externa, ſed inferna magis, in trochanteris magni ſupercilium internum & cauitatis principium. Hunc quoque motum adiuuant muſculi in crure poſtici, ex iſ-

chii tubere & aliis oſſibus vicinis ſupra crus exorti, & obiter dum in tibiâ deſcendunt, cruris oſſi aut muſculis id mouentibus affixi. Crus quoque cum tibia adducunt interni in eo muſculi, & abducunt externi, de quibus omnibus mox in muſculis tibiam mouentibus & crus cum tibia circumagentibus.

Muſculi crus cum tibia circumagunt.

Intro, vt genu ad poplitem cruris alterius, & pterna foras feratur triceps totus: quem etiam triplicem ſtatuere poſſis, cùm capita habeat tria, & tres inſertiones: ſed in medio confuſus eſt, totuſque admodum obliquus.

Primum & ſummum caput, à cōmiſſura ſumma oſſium pubis, & eorum ſpina in oſſis cruris lineam ſub ipſius oſſis medio inſeritur.

Secundum, primo & obturatori externo propè toti contiguum; ab ima oſſium pubis commiſſura & ambitu foratus pubis ſuperno, in os cruris internum & poſticum, ſeu lineam ſub trochantere paruo.

Tertium illi cõtiguũ ab ima cõmiſſura oſſis pubis & ilium, in os pubis & radicem trochanteris parui: inſertionem enim habet ſecundo continuam, ſed paulo ſuperiorem. Huic & primo principiũ neruoſum & forte, ſecũdo autem carnoſum. Hic triceps, etiam crus cũ tibia intro adducit, vt interni: vtrũque hunc motum iuuat mẽbranoſus, & vaſtus internus.

Foras, vt genu foras pterna intro feratur, quadrigemini omnes parui, & propè tranſuerſi, ac ordine locati: quorum ſummus ab oſſis ſacri & coccigis commiſſura in cauum trochanteris magni inſeritur: † alter eo breuior à ſpatio, inter cotylem & iſchii tuber medio propè ipſius ſpinã in latus magni trochãteris propinquum & cauum.

Tertius, ab iſchii tubere interno & paulò ſupra, in ſpatium inter trochanteras medium & cauum magni.

† Quartus illis paulò latior, à toto tubere externo in latus externum & poſticum trochanteris magni & eius cauum.

† Hi duo ſunt inter quos trãſit neruus omnium noſtri corporis maximus qui ad pedis partes vſque vltimas defertur.

† Hic ſecandus eſt vt obtura-

Quintus, obturator externus foraminis inter os pubis & iſchii patentis, ab huius ambitu toto natus, ac tẽdone robuſto, & velut multiplici, cauitate inter iſchii tuber & cotylẽ media vectus, in cauum trochãteris magni cum quadrigeminis inſeritur. *tor externus manifeſtus fiat. Obturator externus.*

Sextus, obturator internus foraminis eiuſdem, ex oſſium iſchii & pubis eo ambitu natus, cauitatę inter iſchii tuber & ſpinam media, prædictæ oppoſita vectus, tendonibus geminis in trochãtera magnum & eius radicem inſeritur. Horum motum iuuat longus, & externi cruris, & vaſtus externus. *Obturator internus.*

Interni duo, vn⁹ inſignis ad vſque cruris medium neruoſus, deinde carnos⁹ tricipiti contiguus, à tubere ort⁹ in tibiã internã tendone deſinit.

Alter gracilis internæ cuti ſubdit⁹, principio lato, tenui, ab inferno oſſis pubis limbo ſub cõmiſſura poſt cruris caput internũ, cum lõgi tẽdone vin-

culo communi ligatus in tibiam longè, latè, obliquè deſinit.

Tertius longus, à ſpina oſſis ilium ſuperna obliquus deſcendit in tibiam internam & anticam, qui etiam tibiam cum membranoſo extẽdit.

adducunt.

Sic aliter ex eodem.

Mu ſculi tibiã cũ crure.

Lõgus ex ſpina ſuperna oſſis iliũ obliquus in tibiã internã fertur, in eãque aponeurosi lata inſeritur, & eã ab aliis flexam per ſe ad inguẽ adducit. Hunc etiã motũ iuuat triceps totus, præſertim ſi cum quadrigeminis agat, & qui duo ex poſticis à tubere nati in tibiam internam deſinunt, & vaſtus internus.

addu- cũt.

Membranoſus à radice ſpinæ oſſi ilium ſupernæ in principium tibiæ externum latè non longè, principio ad ſemipedem carnoſus, deinde mẽbranoſus, & cum membrana muſculoſa confuſus: obliquus autem totus, vti& longus, & genu pro ligamento eſt foris. Hunc etiã motum iuuant poſticorum exterior biceps, à tubere ortus in tibiam externã deſinens, & vaſtus externus.

Ex eõdem aliter ſic.

Membranoſus, ex ſpinæ eiuſdem radice obliquus in tibiam externam fertur, eamque per ſe abducit. Ambo autem hi dum ſimul agunt, etiam tibiam extendunt. Horum plurimi præcipuè vaſti, & crureus villis compluribus in cruris os inſertis, ipſum pro villorum ſitu & inſertione mouent, ſed ab aliis ſibi connexis, & ab oſſe ilium ortis pri-

us moti, nam cùm toti in crure ſiti ſint, id mouere non poſſunt.

Mu ſcu li ti biæ.

Fle-ctũt. 4

Poſtici quatuor, quorum tres à tubere naſcuntur, interiores ſcilicet duo, & vnus exterior: & interiores vno tẽdone cũ interno gracili in tibiã internam deſinunt: vti & quartus poſticorũ à ſymphyſi oſſis pubis & iſchii lineæ affixus.

Rectus, gracilis, vaſtorũ medi⁹, à ſpina inferna ilium, capite ſuperiore paruo, inferiore robuſtiſſimo etiam cotylen attingente, in molam propè mediam tẽdone incidit, qui in tibiam cum vaſtis deſinit & cruræo: nam hi quatuor in tendonem vnum ceſſant, qui molam amplexat⁹, in tibiæ principium anticum latè inſeritur, & genu hac par-

te pro ligamento eſt.

Extē-dunt. 4

Vaſti duo, rectum vtrinque tangentes, & crureo magna ex parte intus cõnati, villis supernè ſubrectis, infernè obliquis, oriũtur: externus quidem à radice tota trochanteris magni & cruris oſſe ſubiecto, in molam & anticam tibiam deſinens: internus verò à trochantere paruo, & cruris oſſe ſubiecto in molam & anticam tibiã ceſſans.

Crureus, recto ſubſtratus, oſſi cruris affixus, ab oſſe cruris antico inter trochãteras tẽdone vno in molam, altero carnoſo in tibiam poſticam per poplitem.

poſticorum iſtorum trium à tubere natorum vnus Biceps (cuius cap. vnum à tubere, alterum à medio cruris) proximè in abducentibus Tibiam dictus eſt. Poſticorum exterior (ab inſertione credo ſicut duo alii interiores) quorũ vnus ille eſt quem in abducentibus Tibiã nominauit author Inſignẽ qui vulgo Seminertuoſus & longus poſticus: alter autem communiter dicitur Semimembranoſus: Quarens & vltimus ille eſt qui hic & in abducentibus Tibiam nominatur Gracilis, qui cum longi ſiue Seminerneſi Tendone deſinit in Tibiæ lineam, ſicut in eandem cum Tendone eius, alii duo Inſignis ſcilicet ſeu Seminerueſus ſeu longus poſticus, & Semimembranoſus. Cæterum in his & Popliteus iure locũ poſtulet cuius author meminit in gaſtrocnemia: cuius claſsis tamẽ, vix eſſe poſſit.

Peronæus, vno capite à perones epiphyſi ſuperna, altero à perones medio, peronæ foris & antè affixus deſcendit, circáque eius infernam epiphyſin poſteriùs tendonem geminum mittit, eidem alligatum vinculis, vno communi, duobus propriis. Tendonum maior ſub planta intimus, obliquè delatus ad pternæ cum cyboïde articu-

lum, os ſeſamoïdibus vſu-
ſimile aſſumit, ſed am-
plum; minus tamen eo
quod habet pedis tenſor
ad aſtragali & ſcaphoïdis
articulum, deinde in os
pedii maximum & vici-
num inſeritur: vt per ſe
Flectūt antici. 3 pedem foras moueat in
ſcaphoïde, & aſtragalo,
cum tibiæo autē flectat:
minor autem in mini-
múm, pedē etiam flectit
& foras mouet, interdū
portione ſui parua in la-
tus externum digiti par-
ui, eum extendens & ab-
ducens.

Tibiæus anticus, à ſuper-
na tibiæ epiphyſi ortus,
tibiæ affixus, & medio e-
ius fini anticè alligatus,
tendone vnico ſed ad fi-
nem bifido, per inter-
num pedis delato, inſeri-
tur infernè, partim oſſi
innominatorum primo
& medio, partim princi-

Muſculi in tibia ſiti pedem

pio oſſis in pedio maximi portione ſui exigua pollicem intrò adducens & extendens.

Digitumtenſor, horum duorum medius, tendone ſexto, & eodem paruo, in os pedii minimum inſertus: de quo mox fuſiùs dicam.

Extendũt postici. 3

Gemelli, internus quidem à radice condyli in crure interni: externus autem à latere aſpero cõdyli externi: ambo mox carnoſi intus neruoſiores, iuncti deſcendunt, & ad tibiæ mediũ cum ſoleo in vnum tendonem pternæ principio inſerẽdum deſinunt.

Soleus, his ſubditus latior, à tibiæ & perones commiſſura in gemellorum tendonem ſub tibiæ medio degenerat.

Tibiæus poſticus, à tibię & perones epiphyſi ſu-

perna ortus, totus tibiæ affixus: circa eius malleolum, ſeu internam apophyſin ligato tendone maximo. Nam tendones eius minores duo reliqui digitos pedis flectunt, vt paulò pòſt leges.

Flexionē pedis hîc intelligimus, cum pes à recto cum tibia ſitu recedit, & angulum facit nunc obtuſum, nunc etiam rectum, & aliquando acutum. Quo more, capitis, colli, rhacheos, aliarum partium, brachii, cubiti, carpi, digitorum, & cruris ac tibiæ flexionem intelligimus, & contrariam illi extēſionem, cùm partes hæ ab anguloſa figura verſus rectam mouentur. Quanquam in pede motum hunc vtrunque κάμπτειν καὶ ἐκτείνειν à quibuſdam vocari ſcribit Gal. in fine Comment. tertii in libro. περὶ ἄρθρων.

In gaſtrocnemia præter illos, muſculus eſt digitūflexor magnus mox dicēdus: & duo parui, popliteus & plantaris: ambo ab externo cruris cōdylo exorti, *Popliteus.*

ſed popliteüs obliquior, & ſua carne mox tibiæ inſeritur poſticæ, & internè eam motu paruo attrahens, alteri vel reſupinatori, vel pronatori ſimilis ſitu

Plantaris. & vſu. Plantaris inter gemellos & ſoleum gracilis deſcendit, mox in tēdonē degenerās prælongū & maximè gracilē: qui ſecundū tendonē pternæ robuſtiſſimum deſcendit, & ad aſtragali tergū lateſcit, perque latera pternæ in plantæ totius cutim abſumitur, vt palmaris in

Quibusdeeſt plātaris & palmaris muſculus. palmam. Quibuſdam tamen plantaris & palmaris muſculus deeſt, tuncque tēdo hic à vicinis ſufficitur tēdonibus ac membranoſis.

Omnes, digitumtēſor à ſumma & externa tibia eidem attenſus & alligatus, per ſupernā pedis partē delatus tendonibus quinque in quinque pedis digitorum articulos omnes variis ſuis portionibus (vt digitumtenſor in manu) inſertus: inter-

dum

dum & ſexto tenui, ſed longo in os pedii minimũ propè totum, pedis flexiones iuuat, altero etiam exiguo paruũ digitum abducit, & modicè flectit, interna verò in pollicis articulũ & oſſa ſeſamoïdea ceſſat, articulũ eius priorem flectens & modicè abducens. Eſt quando non extẽdit paruum digitũ, cùm ſcilicet peronæi portio exigua eũ extendit, vt in muſculis pedem flectẽtibus dictũ eſt.

Extendunt.

Muſculi digitorum pedis.

Omnes, vt in manu, digitũ flexor magnus à perones medio &

articu los

Flectunt.

1

tibię ſuperna epiphyſi ortus, inter hæc oſſa medius deſcendit, & ad malleolum internum in tres abit tẽdones magnos: quorum vnus peronæ poſticæ reſpõdẽs, inter pternam & malleolũ internũ tranſmiſſus, in pollicem & indicem trifidus ſubit: alii duo tibiæ reſpondentes per eiuſdem malleoli partem anticam tranſmittuntur, & horum minor in reliquos tres digitos ſubit, maior in os primũ innominatorum ceſſat, pedem totum cũ peronæo antico extendit. Hos autẽ quinq;

digitos flectũt hi tendones quinq; partim ligamẽtis tum lõgis, tũ breuibus: partim inſertione, vt in manu.

Primos & ſecũdos digitorũ quatuor, digitũflexor paruus in planta pedis media ſitus, à pterna inferna ortus: primos etiã horũ quatuor flectunt lũbrici quatuor & interoſſes, vt in manu.

Digitumflexor magnus inter tibiã & peronem profundus deſcendit, & ad pedem in tendones magnos tres abit: quorum duo poſt malleolum internũ ligamento communi iunguntur, & proprio ſeparantur. Horum exterior pollicem flectit, interior è regione articuli ſcaphïodis cum aſtragalo, os ſeſamoïdes magnum & craſſum aſſũit ad eius articuli firmitatem, vt

peronæus alterum ad articulum pternę cum cyboïde, & inſeritur in os innominatũ internũ portione vna, aliis in alia, & cyboïdes: imo portione vna ſub tẽdone peronæi deſinit in os pedii quartũ, propè paruum digitũ. Pedis tenſor hic poteſt ſtatui, licet etiam per ſe ſit obliquator: Reliquus per latus internum pternæ profundus fertur, & digitorum quatuor articulos omnes flectit vt in manu, Galeno autem primum & tertium.

Muſculi pedis
- Adducunt.
  - Pollicem, vnus oſſi pedii maximo int⁹ attenſus.
  - Digitos quatuor, lũbrici 4. digitumflexoris magni tẽdonibus affixi, vt in manu: ſed pedis lumbrici à digitum flexore paruo in planta ſito produci videntur.
  - Interoſſes latus oſſium pedii internum contingentes.
- Lumbrici in pede portione maiore digitos quatuor addu-

cunt, minore digitum alterũ abducere videntur, vt in manu.

Abducunt. Digitos quinq;, vnus, aſtragalo, pternæ, cyboïdi totus supernè attenſus, in tendones quinque abſumptus, aliquando paruũ nõ abducit. Paruũ item abducit paru⁹ muſculus ei foris attenſus.
Interoſſes latus oſſiũ pedii externũ cõtingens.

Pollicem quoque ab aliis abducunt, ſeu intrò ducunt duo, à cauitate inter pternam & aſtragalũ media orti, in latus pollicis internum inſerti.

Muſculi prȩterea tres in pedio ab ipſius oſſibus orti, maximo, ſecundo, medio, omnes pollicem & indicem mouẽtes, vt qui in manu ſunt ad thenar. A pedio quoque moles carnea in digitorũ reliquorum latera. Partibus aliis quibuſdam muſculi inſunt aliquando vel deſunt. A ſterno enim ſummo muſcu-

lus initio neruoſus, deinde carnoſus, ſuperficiarius, tenuis, pollicem latus, in ſextam coſtam dextram çeſſans, ad recti muſculi dextri exortum ſingulis coſtarum ſuperiorũ cartilaginibus inſertus, mihi viſus eſt, ſiniſtrum autem latus eo muſculo carebat: interdũ habet eum latus vtrunque, ſed inæqualẽ. Ab oſſe pubis ſub cuti multis cum viris, tum mulieribus parui duo ſurſum feruntur, ſæpè inæquales, rectis velut ſuccenturiati ad eorum robur augendum.

DE TENDONIBVS.

CAP. VIII.

Oτένων id eſt tendo ἀπὸ τοῦ τείνειν, id eſt à tẽdẽdo dicitur, quòd ei⁹ actio precipua in tenſione ſeu contractione eſt. Horũ enim vnuſquiſque fibris ſuis verſus muſculi caput retractis, partem cui inſeritur eodem contrahit ac euellit. Eſt autem tendo muſculi ἀπονεύρωσις ſeu finis, quo in partem mouendã inſerto fit motus omnis voluntarius. *Tẽdo quid.* Villis neruorũ, & ligamentorum conſtat in vnum coëuntibus, interdũ car-

ne adhuc eos villos ambiẽte: id quod in † multis cruris & pedis, plantæ & cubiti muſculis apparet: ne addã liguæ, laryngis, colli, thoracis, epigaſtrii, & aliarũ quarũdã partium muſculos propemodum vbique carnoſos: quà tamen hi os, aut cartilaginem, aut partem aliam à ſe mouendam tãgunt, neruoſi magis apparent. †

Cap. hoc eſt incõpletum cui fortaſſe ſuppetias ferre poßit lib. 1. caput de ligamẽtis & de mẽbranis & de villis: et lib. 2. cap. de neruis.

ANACEPHALAEOSIS MVSCVLORVM.

CAP. IX.

MVſculorũ magna eſt natio, & ob id cognitu, & memoratu difficilior, præſertim cum partiũ ſibi ſuccedẽtium ordinẽ & actionem docẽdo ſequimur. Clarior autem, ſed imperfectior eorum hiſtoria fiet, ſi anticos omnes primùm, deinde poſticos recenſuero tantùm (non enim totam eorum naturam hîc repetere conſtitui) & horum medios. Corpore igitur ſupino cutiquè ablata, & adipe, vbi adeſt: membrana muſculoſa totum corpus ambiens apparet, quæ carnoſior in facie, & collo toto vſque ad omoplatarum ſpinas &

Cutis. Adeps. Membrana muſculoſa. Muſculus latus.

claues, muſculum facit latum, ſub quo in facie ſpectantur cilii ſuperni leuator & depreſſor: labri ſuperni & inferni leuatores vtrinque duo, & depreſſores totidem, & qui pinnas naſi aperit: qui verò claudit intus in naribus latet: ſpectantur etiam crotaphita, & maſſeter, & ſub hoc paruus in ore latens, deinde rotundus, & qui genam infernam aperit: qua fracta linguæ muſculos & hyoïdis & laryngis tum cõmunes, tum proprios aſpice, & fracto oſſe frontis muſculos ſeptem oculi. Sub lato etiam ſed in collo apparent, maſtoïdeus, coracoïdeus, bronchius: & ſub broncho ſeu aſpera arteria & œſophago, ſuper colli ſpondylos omnes, & ſuperiores dorſi longus vtrinque vnus, & in cæteris quoque numerus eſt geminandus. In thorace autem ſupino corpore, ſpectantur deltoïdes, pectoralis: ſub quo ſerratus maior, & ei contiguum caput obliqui per epigaſtrium deſcendentis: ſub ſerrato maiore minor: ſub his intercoſtales externi, & his ſubiacentes interni, qui aperto (exciſis coſtarum cartilaginibus) thorace, apparent clariùs, & cum his cartilaginum ſeptem ad ſter-

num adductor vtrinque vnus, & diaphragma vnicum. In ventre inferiore muſculi octo epigaſtrii obliquus deſcendens, ſub quo aſcendens : inter cuius aponeurωſes rectus, ſub obliquis tranſuerſus. Hi quatuor vtrinque. His exectis,& ablatis inteſtinis, ad lumbos apparent ψοαι muſculi crus flectentes cum ilio,& obturator internus : ſphincter veſicæ, muſculi in huius collum propè reliquum vtrinque duo : ſedis ſphincter & leuator,& ante hos cremaſter. In crure obliqui duo, longus & membranoſus,rectus, vaſtus, internus & externus,crureus. In anticnemio tibiæus,peronæus,digitumtenſor.In pede abductor digitorũ quinque. In brachio manu etiam ſupina, cubiti flexores duo. In cubito, carpi flexores duo, digitumflexores duo, radij pronatores duo,palmaris.In manu extrema thenarij duo,ad paruum digitum duo,ad medicum vnus,lumbrici quatuor,interoſſes ſex.Deinde vbi pronum cadauer locaueris,apparent in collo,vbi latum ſuſtuleris, trapezius etiam ad thoracem pertinens, ſub hoc ſplenius, ſub hoc complexus,deinde parui vtrinque qua-

tuor,caput extendentes & circumagẽtes. Ad latus autem colli, ſcalenus,trãſuerſarius,in medio ſpinatus,rhõbus,& alii duo minores omoplatæ leuatores: ſub rhõbo in thorace rhomboïdes ſupernus,& ſub latiſſimo infernus,& rhachitæ rhachi vbique attenſi, & affixi. Ad lumbos & os ſacrũ latiſſimi portio ſub qua ſemiſpinatus, ſacer, triangulus. In natibus tres ſub his quadrigemini. In crure, quatuor poſtici, inter quos & anticos medii intus ſunt adductor craſſus, & gracilis,& triceps: ſub cuius capite ſecundo eſt obturator externus. In gaſtrocnemia gemelli, plãtaris, ſoleus, popliteus,tibiæus,peronæus, digitumflexor magnus. In planta, digitũflexor paruus, lumbrici,& qui alii digitos pedum adducunt vel abducunt. In omoplata apparẽt præter leuatores,& rhõbum etiam retractorem,deltoides, lati & latiſſimi portio:deinde ſuper eius ſpinam vnus,ſub eadẽ tres, ſub omoplata vnus. Hi propè omnes brachii motores. In brachio cubiti tenſores duo. In cubito iam prono:radii & cum eo carpi,& manus ſupinatores duo,carpitenſores duo : digitumtẽſor vnus, ſed cu-

ius partes aliquæ digitos etiam in obliqua mouēt, & hi omnes externi oriūtur à brachii apophyſi externa, vt interni ab interna, ſed radii ſupinator longus horum medius à brachio naſcitur.

IACOBI SYLVII ISAGOges Anatomicæ Libri ſecundi,

FINIS.

IN HIPPOCRATIS ET GALENI ANATOMICOS

libros Iacobi Syluij medicæ rei apud Parrhiſios Regij interpretis Iſagoges.

LIBER III.

PROOEMIVM.

PArtes corporis cęteras peritonæo tunica, & ſubcoſtali, meningibúſque cóprehēſas perſtringere quã potero breuiſſima, ſed tamen perſpicua oratione aggredior. In qua quidem hiſtoria, quæ partes à nobis priùs deſcriptæ occurrent, vt oſſa, ligamenta, cartilagines, membranæ, villi, carnes, adipes, glandulæ, venæ, arteriæ, nerui, muſculi, ſcienter omittentut, vbi illarum memoriam leuiter lectori refecerimus, ne de re eadem nobis identidem ſit dicendum.

Actionem verò cuiuſque partis aut vſum ab ipſius actione, ſubſtantia, magnitudine, numero, figura, ſitu, connexione ſumptũ, vt in priùs ſcriptis partibus, ſic inſcribendis, ad libros de vſu partium remittimus: ne Galeni plumis nos inglorii gloriemur, more quarũdã Aeſopi cornicum hodie infeſtiſſimarũ.

DE PERITONAEO TVNICA.

CAP. I.

PEritonæos tunica, quòd toti ĩferno ventri περιτέινεται id eſt circũtenditur, dicta, à ligamentis ſpondylorum lumborum præcipuè exorta, ibique craſſiſſima, & ſupernè viris, infernè mulieribus craſſior, & robuſtior. Epiploõ gignit, & meſenterium & partes ventris inferni omnes communiter ambit, & ſingulis ſingulas, & eas, quà craſſior eſt, craſſiores largitur tunicas, tanquã apophyſes quaſdam † intro ſubſidẽtes, ac extenſas magis, ſine tamen vlla vera perforatione. Eadem à lumborum, & partium in proceſſu vicinarũ, neruis quidem ſenſum, venis vero nutritionẽ

Peritonæi ortus. † *Sũt & apophyſes quæ mulieribus in inguinibus delteſcunt. An verò non à natura hæ: vt earũ replicatione, diſtentioni ſufficiat peritonæũ in prægnantibus?*

mutuatur. Huius vtilitas multiplex tũ publica, tum priuata Galeno pleniſſimè declaratur:& nos de hac non pauca capite de Membranis diximus.

DE EPIPLOO TVNICA. CAP. II.

Epiploõ vnde oriatur. EPiploon, quòd ventriculi fundo, & inteſtinis ἐπιπλέει hoc eſt, innatat, dictum: his quidem attenſum tãtùm: vẽtriculi autẽ fundo, & coli cõtiguæ parti ac ecphyſis, & ſimo hepatis ac lienis etiam affixum. Ex membrana fit duplata, ſed nuſquã in medio vnita, à peritonæo ſeu ſupernis lumborum ligamentis nata. Venis portæ quamplurimis, & coniugibus à lumbari arteriis intertexta, ſurculos à coſtali neruo ſortita, partim adipoſa, id autem hominibus multis eſt breuius, quibuſdã longius, vt etiã in ſcrotum rupto peritonæo quandoq; *Epiploocele* delapſum, epiploocelen herniæ ſpeciẽ exciter.

DE OESOPHAGO, ET VENTRICVLO.

CAP. III.

OEſophag⁹, ſeu via cibi, tunicis duabus conſtat, interna quidẽ oris tunicæ continua, & ibi craſſior, durior, vbique autẽ neruoſa: externa verò carnoſa: villis vtraque contexta, illa rectis, hæc tranſuerſis: ſed ambobus deglutitionem celerantibus & vomitum, dũ illi trahunt, hi trudunt. Tertiam habet tunicam à ligamentis ſpondylorum quibus incumbit, medius quidem colli ſeptem & metaphreni quatuor, dexter autem quinto, ſexto, ſeptimo, octauo, vt cedat aortæ deſcendenti, ad nonum denique ligamentis valentibus ab eo natis in altum leuatus; arteriamque præteruectus, iam ſiniſter pertuſis phrenibus cum duobus neruis inſignibus à ſexto pari demiſſis vnitur.

Oeſophagi tunicæ duæ

Villi tunicarũ œſophagi.

Tertia œſophagi tunica.

Ventriculus, primæ coctionis officina, œſophago cõtinuus & ſubſtantia ſimilis. Duabus enim tunicis etiam cõſtat: interna neruoſa, craſſa: externa car-

Ventriculus, eiuſ-

demque tunica. noſa, minus tamen quàm œſophagus. Villis etiã vtraque contexta eſt: illa rectis, hæc tranſuerſis, & vtraque obliquis, ſed paucis. Venas à porta multiplices, arterias à lumbari: neruos nuper dictos inſignes à ſexto pari, & minimos à coſtali. *Ventriculi os ſupernũ, ſtomachus.* Vẽtriculi denique os ſupernum, ſtomachus dictum, amplius, & maximè ſentiens ob dictos nuper *Os infernũ pylorus.* neruos, infernum autem pylorus appellatum, anguſtius. *Ventriculi figura.* Rotundus eſt vbique ventriculus, in figura oblonga, vt inflatus oſtendit. Dum verò ſpõdylis & vaſis ambobus maximis deſcendentibus parte poſtica pronatur, ſimitatem quandam, ſed mox euanidam *Tertia vẽtriculi tunica epiploi antici procreatrix.* mentitur. Tertiam habet tunicam à peritonæo, parte phrenas ſubtegẽte, omnium craſſiſſimam, epiploï antici procreatricem, vt poſticum vẽtriculo ſubſtratum ligamenta lumborum ſupernorum edunt.

DE INTESTINIS.
CAP. IIII.

INteſtina tunicis quoque cõſtãt duabus propriis villos tantum tranſuerſos ad

ſos ad chyli & ſtercoris expulſionē ſortitis: alicubi & rectis, ad horum firmitatem. Sunt enim chyli à ventriculo cocti in hepar per meſaraïcas portæ venas numeroſè in ſuam partem ſimam inſertas diſtribuendi inſtrumēta, præcipuè tenuia, ecphyſis, ieiunum, ileon. Craſſa verò cæcum, graphicè Galeno deſcriptum, colon, rectum, ſtercori colligendo magis deſtinata. Tunicam habēt tertiam à peritonæo propriis villis circundatam: arteriam à lumbari, neruos à coſtali, & vicinis rhachitis. Singulorum inteſtinorum iam enumeratorū magnitudo, figura, ſitus, connexio, in ipſis corporibus ſecandis potius quàm in picturis quibuſdam omnino vaniſſimis, & quę ne ſuperficiem quidē corporum repræſentare poſſunt, ſpectanda. Naturæ igitur archetypum ſequere, non imitatricem eius artem omnino mancam, & rerum vmbras etiā malè effigiantem.

Tenuia inteſtina chylum diſtribuunt.

Craſſa ſtercus colligunt.

Tertia inteſtinorū tunica à peritonæo.

DE MESENTERIO.

CAP. V.

Meſenterii etymon & meſaræi. *Meſenterii tunicæ.*

MEſenteriū, quia μέσον τῶν ἐντέρων, id eſt mediū inteſtinorum, & μεσαραῖον, à raritate quadam media corporum opinor glandoſorum in pancrea, & locis quibuſdam aliis. Duabus etiam cōſtat tunicis, à peritonæo propè lumbos exortis, & connatis, niſi quà aut venas à porta, & arterias à lumbari in medio ſui intercluſas inteſtinis conuehunt, & eaſdem ſpondylis hepatique affirmant & committunt: aut quà adeps multus interceſſit, aut quà ipſa inteſtina conueſtiunt propè omnia. Nam ecphyſis à peritonæo: colon, quà fundum ventriculi ſuperuehitur, ab epiploo poſtico veſtitur. Illis autem in partibus intercedētia vaſa, adeps, inteſtina, tunicas meſaræi connaſci prohibent. Suis idem glandulis, & magnis & multis pācreas conſtituentibus vaſorum diuiſionem ſtabilit, & ſecuriorem efficit. *Pancreas.*

DE HEPATE.
CAP. VI.

HEpar, viſcerum natura primum, ſanguinis & venarum principium, lobis nūc nullis, nūc duobus aut trib⁹,

nunc quatuor, etiam quinque Hippocrati prẹditum: nobis plurimum quatuor, magnis duob⁹, paruis totidē. Horū ſinguli prẹcipuè magni, cōſtant carne ſua ſanguinis effectrice, venẹ portẹ & cauẹ ceu radicibus mutuò ſe oſculantibus, ſtomachis cholidochis inter illas radices mediis, arteria partem eius ſimam difflante, membrana totum viſcus ambiente, neruulum tum à coſtali, tum à ſtomachico recipiēte, hypochōdrio dextro ſuppoſitum eſt. *Libro ſuo de oſſibus* *Sanguinis cauſa effectrix.*

DE FOLLICVLO FELLIS.

CAP. VII.

Κύστις χοληδόχος ſeu χολοδόχος hoc eſt veſica bilem ſcilicet flauam recipiens, villos habet in ſua tunica intus rectos, nec ita multos, foris trāſuerſos, medios horū obliquos: quibus bilem retinet, vt rectis trahit ex hepate, tranſuerſis expellit in ecphyſin. A collo enim ſuo ſtomachos habet duos: vnum in hepar, inter venẹ portẹ & cauẹ radidices numeroſis ſurculis diſtribuendū, quibus bilem in ſe allicit: alterum ra- *Stomachi folliculi fellis. 2.*

rò geminum, ſæpius ſimplicem in ecphyſin delapſum, quo in ipſũ & inteſtina bilem expellit, euerſa facilè gemina membrana, eius oſculũ in ecphyſi claudente. Maximo hepatis lobo dimidia mergitur: reliquam ſimæ hepatis tunica tegit ad venæ portæ exortum, à qua venulas duas, & à vicina hepatis ſimæ arteria arteriolas, in imum vſque ipſius fundum cum nerui coſtalis dextri portione diſtribuendas accipit.

DE SPLENE.
CAP. VIII.

Lienis caro, tum venis à porta, tum arteriis ab aorta lumbari pluribus & maioribus, quàm ſuæ magnitudini cõuenit, intertexta, veſtitur peritonæide membrana, neruulum à coſtali ſiniſtro recipiente, trahitque ſanguinis in hepate geniti ceu fæcem per vas venoſum portæ ramum ſuperiorem & minorem, ac eius fæcis parte ſibi cognata magis ac familiari, per arteriarum præcipuè calorẽ & motum elaborata nutritus: reliquum excernit nunc in portam & inteſtina per idem vas venoſum: nunc

inventticuli latus ſiniſtrum, per inſignē venam ex ſummo autpropinquo in lienis ſimæ ramo prodeuntē: nunc in ſedem per hæmorrhoïdas, à ſiniſtra epiploïde natas: nunc in renes, per arterias ab aorta ſupra renes natas potiùs, quā per portam & hepar & cauam, hypochondrio ſiniſtro ſupponitur.

DE RENIBNS.

CAP. IX.

REnum caro dura & denſa, ſanguinem paucum ad ſui nutritionem, vrinā verò ad voluptatē attrahit, renali tū vena, tū ſubdita illi arteria multò ob hęc maiore, quàm renū magnitudinē cōueniat: & ſecernit vaſe duro craſſo, ex iiſdem renalibus cōflato, in ipſam carnem vtrinque diuiſo, ramis primū binis, deinde ſæpius ſeptenis æqualibus, dimidio ſui exteriore carni renum cōnatis, interiore liberis, tandem ád gibbæ renum partis medium coaleſcentibus: expellit denique in veſicam per vreteras numeroſè etiam in carnem renum diffiſſos, quos, vti & vaſa, parte ſuā *Quorſū vena & arteria in renibus maiores.*

ſima recipit, mēbrana inuoluitur à peritonęo neruulum ex coſtali recipiente.

DE VESICA ET VRETERIBVS.

CAP. X.

VEſicam conſtituunt duplices tunicę, propria vna villis valde intertexta, intus rectis, foris tranſuerſis, mediis inter hos obliquis: altera ex peritonæo pubis os intus veſtiente orta; & venæ ac arteriæ inter has tunicas à colli lateribus ad vſque fundum ſparſæ, à ramo per foramen oſſis pubis in crus deſcendente, neruuli denique à coſtali & infima rhachitide. Hæc vrinam ex vreteribus exceptam, foras quidem per vrethram editis in lucem excernit, vtero autem geſtatis per vrachon in allantoïdis cauitatē longam, anguſtam, rotundam: quæ in ipſius fines magis effundi-tur, ne amnion, chorion, vterum, fœtū premat. Vreter autem ſtomachus quidam eſt tunica tenui, ſed denſa, villis tantùm obliquis texta, à renis ſinu per

Vreter.

eius ſimam ſuper pſoas delatis, vbi alterã à peritonæo tunicã mutuatur, tãdem inter veſicę tunicas, ſpacio breui interlapſus, donec paulò ſupra veſicæ os in ipſius capacitatem erumpat, mẽbranulis tamen geminis eius orificio appreſſis, tunc cedentibus, aliâs vrinam in vreteres regeri prohibentibus. Vrethram autem ſeu meatum vrinarium, in viris longum, anguſtum. S. literę Romanę modo obliquum, incipit proſtata cõtigua veſicę glãdula: cõtinuat ſphincter, & propria colli veſicę corpora penis abſoluit, in mulieribus verò breuem, latum, rectũ neruoſa tunica efficit.

Vrethra ſeu meatus vrinarius.

DE TESTIBVS ET VASIS SPERMATICIS.

CAP. XI.

TEſtes, δίδυμοι dicuntur, quia gemini ſunt, rarò plures, aut pauciores. Subſtantia conſtant molli & ob vaſorum ſpermaticorũ, quibus variè perte-

xuntur, multitudinem, rara, laxa, cauernoſa, ſemen ipſum percoquente: ab iiſdem vaſis acceptum, per epididymidē, propriam ipſorum & vbique contiguã tunicã, & inde per paraſtatan teſti impoſitũ corpus, teſtis alterius quadã effigie. Porrò vaſa ſpermatica prodeunt, dextra à caua, & aorta ſub renali: ſiniſtra verò, vena quidē à renali, rarò à renali arteria: deducũtur autē inuoluta, in vētre quidē peritonæo, ſed extra vētrē erithroïde† tunica, à vaſis iiſdã & ſuis, & muſculo teſtiũ gracili rubrata, ex peritonæo etiam nata, & teſtem teſtiſque epididymiden totam inuoluēte. Ea autem erythroïs tunica mulieris teſtibus aut nulla eſt, aut ob paruitatē nõ cõſpicua. Aliæ ſunt tunicæ vtrique teſti cõmunes, cutis ipſa ὄσχεος ſeu ſcrotum, priuatim hîc vocata, & ſubiecta illi, paſſimque vt etiam erythroïdi connexa membrana carnoſa, hic quàm in corpore reliquo vtraque tenuior, venis tamen multis & arteriis interſperſa. Sũt pręter hęc pori ſpermatici, ex paraſtata prodeũtes, erythroïde ad imũ vſque ventrem educti, quem ingreſſi, & peritonæo tecti, mox reflexi per proſtatã

Epididymis

Vaſa ſpermatica.

† Alii e'ytroidē denominã: quaſi hoc illa ſit teſtibus quod glandi quarna, ἔλιτρον

Erythrois tunica mulieribus nulla, aut admodum exigua.

Pori ſpermatici.

invrethram corriuant, ſemẽque in eam excernunt.

DE PENE.
CAP. XII.

Veſicæ collum, à proſtata circulari & pertuſa aut duplici glandula incœptum, ſphincter ad ſedem vſque producit: inde muſculi duo graciles vretico, & eidem ſeminali poro ſubditi, & iuncti aliis duobus prodeuntibus ab inteſtini recti muſculis, continuant per totum peritonæum vſque ad penem. Hunc verò efficiunt ligamenta duo, rara, ſanguine craſſo, nigro plena, tactu exquiſito prædita, ex oſſium pubis commiſſura propè tota prodeũtia: ſupernè vnita, infernè diſtantia, quantum poro vretico perficiendo cum cuti & membrana carnoſa ſufficiat, donec in glandem, penis finem deſinant. Quibus & ambiẽtibus ipſa membranis compluribus, præſertim carnoſæ cuti, vaſa & multa & magna à ſacris, nerui autem à coſtali & rhachitide infima diſtribuuntur.

Quæ penem conſtituãt.

Glãs penis.

DE VTERO.

CAP. XIII.

Vteri tunica.

VTerus, tunica cõſtat propria, velut ex duab⁹ diuiduis coagmẽtata, villos habenti rectos intus, nec ita multos trãſuerſos, foris paulò plures, obliquos horum medios & plurimos & valẽtiſſimos. Vteri naturam perficiunt tunica altera, venę, arterię, ambarũ cotyledones, nerui, cornua, teſtes, & per hęc omnia cõnexio cũ partibus vicinis, ſitus, magnitudo, numer⁹, figura: pręter hęc, vteri os & collum, & ipſius colli os ſeu pudendum. Tunica vteri altera eſt nervoſa, à peritonęo hypogaſtrii propinquo nata, in recens fœtis & parturientib⁹, vti & propria, eſt tenuiſſima in virginibus, ſterilibus, parere ceſſantibus, craſſiſſima. Venę & arteriæ vtero diſtribuuntur duplices: primę à ſpermaticis vaſis, quę mulieri vt viro naſcũtur: dextra quidem à vena caua & aorta, paulò infra renalia: ſiniſtra verò à renalibus, niſi quòd arteria ſępe ab aorta exit, ſed venę ambę multò maiores quàm arteriæ: præſertim parturiente iam mulie.

Altera vteri tunica.

Venæ & arteriæ vteri.

re. Hæc vaſa ramulum quendam flexuoſum valde teſtibus largita, in vterũ abſumuntur, inter tunicas eius duas variè diſperſa, ſed magis propriè vteri tunicæ hęrentia, vti & ſecundæ, partim in vterũ aſcendẽtes, partim in ei⁹ collũ deſcendentes, ortæ autem à ſacrorum vaſorum ramo, per oſſis pubis foramẽ in crus deſcendente. Quæ verò vaſa quatuor alia in vterum à renalibus vidit in quibuſdam Herophilus, in aliis mulieribus non vidit Galenus, ſed tantùm in ſimiis & ea ratius. Cotyledones ſunt ora vaſorũ in vterum internũ penetrãtia, quæ præſertim grãdiore iam fœtu, aut mẽſtruis per hæc fluxuris intumeſcũt, hæmorrhoidũ paruarũ modo, ſeruata ſcilicet in medio ipſorum orificiorum parua ceu cotyle, & cauitate, per has vtero prægnantis adhæret chorion paribus ſuorum congenerũ vaſorũ oribus, tũ chorii interuentu fœtus, ſicque in vtero nutritur. Hę in capra, oue, cum mactantur, granis tritici forma, magnitudine & colore ſunt ſimiles: in iiſdem parturientibus maiores. In vacca recẽs prægnante, papillam vaccæ referunt, in parturiente ſpongias albas *Cotyledones.*

foraminulentas repræſentant, tam magnæ vt ſingulæ manum impleant. Cotyledones autem in muliere qui negat, Hippocratem negat. Ob id librum quintum anatomes Hippocraticæ legat, vbi Galenus Hippocratis in his reprehenſores apertè confutat. Spectet etiam mulieres magnas, ſanguine paulò craſſiore præditas, venis latis, recèns enixas: in his enim cum manifeſtè viderit, in cæteris eaſdem, licet obſcuriores ſint, facilè intelliget: & ſi luſcioſus eſt, aut aliter imbecilla oculorum acie, decrepitorum conſpicilia aliis non paucis perſpiciendis vtilia adhibeat. Nerui in vterum diſtribuuntur, à coſtali & ab infima rachitide. Cornua, ſunt duæ vteri apophyſes exiguæ, à lateribus ad ilia, papillæ ſeu cornibus exorientibus ſimiles, ob id eas cornua vocat Diocles. In hæc duo cornua ſemen muliebre excernitur, & contractę allantoïdis extremitates finiuntur. Teſtes vteri lateribus ad fundum adiacēt, vtrinque vnus, multò minores virilibus, tecti tum peritonæo, vaſa in hos ipſos cum ſanguine ſeminali varicoſius educente, tum epididymide propria tunica. Sed ely-

Aph. 45. lib. 5.

Nerui in vterū vnde.

Cornua vteri.

Semen muliebre in cornua excernitur.

Teſtes muliebres.

throïde & ſcroto, & carnoſa membrana carent. A teſtibus vaſa ſemen in vterum per cornua deferũt, initio ampla, vt virilia, deinde anguſta, rurſus ad vterum laxata. Connexio vteri cum partibus vicinis maxima eſt, per tunicam à peritonæo exortam, quæ vterum firmiſſimè alligat oſſi pubis, ilium, & ſacro. Per venas quoque & arterias præcipuè ſpermaticas, & peritonæi apophyſin has deducentem, magnis vaſis alligatur, vt per neruos rhachi. Per quoſdam quoque villos tenues inteſtino recto, per alios veſicæ, ſed plures & laxos. Per vincula etiam laxa oſſis pubis & ſacri, & lumborum, muſculis. Sine vllis autem vinculis vterus attingit, in prægnante præſertim, inteſtina multa, ilia & totum hypogaſtrion, in quo ipſe ſitus eſt, inter veſicam & inteſtinum rectum: ita vt recto inteſtino propè toti incumbat, & veſicę fundũ, ſuo, vmbilicum verſus excedat maiori ex parte: à collo autem veſicæ ad pudendum excedatur. Magnitudo mediocris vteri longa, vt plurimum, eſt vndecim digitos, à fundo ad pudẽdum. Ad ilia autẽ præcipuè cornibus extẽditur.

Cõnectitur vterus vicinis partibus.

Vteri magnitudo vndecim digitorum.

Enixæ quàm adhuc grauidæ vterus multò eſt minor,& virginibus,& vetulis,& ſterilibus,quàm vtero gerentibus.

Sinus duplex vteri. Vterus muliebris ſinu duplici dextro & ſiniſtro, etiam Hippocrati diſtinguitur,per illam tunicæ propriæ in medio glutinationem ſutura quadam, qualis ſcroto ineſt,obſcuriore tamē, foris deſignatam.

Figura vteri. Figura vteri & veſicæ ſimilis, ſed cornibus differt atque cotyledonibus,quamuis multùm obſcuris,pręterquam(vt dixi) ad partum, & in menſtruas purgatione.

Vteri os. Vteri os in virginibus,& vtero gerentibus,& ſterilibus,& parere ceſſantibus eſt glandi virili perſimile, parturientibus verò & recens enixis adeò extenditur & patet, vt nihil eius ſuperſit, ſed cauitas vna propè æqualis, à fundo vteri ad pudendum appareat.

Aph. 15. lib. 5. *Aph. 46. lib. 5. & li. de ſterilibus.* Id os à conceptu multum contrahitur Hippocrati: mediocriter autem aperitur dum ſemen aut recipit, aut excernit,& mēſes. Idē os epiploon inter veſicam & vterum illapſum in valde obeſis comprimi, & conceptum impedit Hippocrati.

Vteri collum. Vteri collum, eſt corpus muſculoſum carne dura & cartilaginoſa conſtans: in annos ſemper

magis durum, & cartilaginoſum euadens: ita vt vetulis iam ſit ſimile ſummitati aſperæ arteriæ, vt rectè comparauit Herophilus. Pudendum cunnus noſtris dictum os colli eſt vteri, cui cutacea epiphyſis, ſeu pellicula quædam innaſcitur virorum præputio reſpondens, quam nympham vocauerunt. Fœtum in vtero totum membranæ inuoluunt duæ, χόριον & amnios: allantoides vnius tantùm lateris portionem tegit. Chorion membranis conſtat duabus, ex virili ſemine, &, quà tangit cornua ex muliebri genitis: inter quas feruntur ad fœtum nutriendum multæ tum venæ, tum arteriæ, naſcentes ex congenerum vteri vaſorum oribus, numero & magnitudine paribus: quæ cotyledonas vocauit Hippocrates. Allantoides tunica, allanti, id eſt inteſtino cuidam laxiori vtrinque contracto ſimilis, ex vracho (cui ex ſpermate ſeroſiori origo eſt) gignitur, dilatato & vtrinque longiùs ſed rotundè producto, ſed mox paulatim ad fines ambos cornibus inſertos contracto. Eſt enim tunica tenuis, ac debilis duplex, rotunda, ſtricta,

Pudendum muliebre lib. 14. vſ. part.

Fœtus mẽbrana.

Chorion duabus mẽbranis conſtat.

Aph. 45. lib. 5.

Cotyledones.

Allantoides.

Eius origo.

longa, vrinam totam ſola continens: † totum autem fœtum non comprehendit, ſed partibus tantùm eminentibus capiti, natibus, pedibus ſuperiecta apparet, ſub chorio & ſuper amnion ſita, & amnij minimæ portioni vno latere ſuo per tunicæ ſuæ apophyſes affixa.

† De his iā ſupra in c. de mēbranis lib. 1.

Amnios tunica eſt ampla, adeo vt totum fœtum ambiat vndique, & craſſa & robuſta: quia non ſolùm ſudorem fœtus, acrimonia & fœtore moleſtum continere debet, ſed etiam fœtus artuum motioni obſiſtere, ne ab ea prōptè rumpatur. Hanc verò & chorion, & interdum allantoïdem rumpit facilè fœtus in partu, morbo, morte, brachiis iactatis & cruribus. A chorio vndique comprehenditur, ac etiam tangitur vndique, præterquam qua parte minima intercedit allantoides.

Amnios fœtum totū ambit.

SCHOLION.

Mulıebris pudendi quod ſupra eſt Pecten dicitur inquit Rufus. Id triangulum eſt & imi ventris terminus. Pudendi rima, Sciſſura. Muſculoſa in medio caruncula, Nympha & Myrtum dicitur & quibuſdam Clitoris Vtrinque verò poſita carnoſa corpora Myrtochilas appellant plurimi.

Alii tamen μυρτοχεἰλας; appellant pterygomata id eſt alas: Myrton verò nympham. Eſt verò Clytoris particula virili peni reſpondens, ex duplici neruo conſtans intus ſpongioſo vt inviris, referto atriori craſsiorique ſanguine. Oritur biſurcato principio ab oſſe vtroque pubis, atque in vtroque principio dicto, muſculũ paruũ ſatis manifeſtũ habet, vaſa per dorſum currẽtia adſunt quemadmodũ in virili mẽbro, deſinitque in quoddam extremũ quod ceu glans videtur, contenta quadam pelle veluti præputio, quæ pellis, iungit pudẽdi exterioris gemina illa corpora, quæ à Græcis, præcipue Sorano dicuntur πτερυγώματα. Extremam autẽ glandem iſtius penis ſtatim reperies in parte ſuperiori ipſius pudendi exterioris vbi iunguntur vel vnde incipiunt dicta πτερυγώματα. Hæc Fallopius.

DE TVNICIS SVBCOSTALIBVS.

CAP. XIIII.

COſtas omnes ſua perioſtio veſtitas tunicæ ob id ὑπεζωκυῖαι ſeu coſtas ſuccingẽtes dictæ, & ſitos inter has muſculos ſubtegunt, & diaphragma, æſophagum, venam cauam, arteriam læuẽ & aſperam, pericardion, pulmones: à ligamentis ſpondylorum thoracis *Origo ſubcoſtalium tunicarũ.*

enatę & mox parte ſui altera connexæ, per thoracem medium in duo ęqua diuidendum eductę ad ſterni medium, inde ad ſuas coſtas & ſuam originem recuruatę, vtris ſpeciẽ vtraque prȩfert. Venas & arterias ab azygo, arteria magna, mammalibus, & phrenicis vaſis parte ſui his propinqua recipiunt, neruos autem, à paribus dorſalibus quidem quà coſtas tegunt, phrenicis verò quà phrenas, ſextis ex cerebro ortis cætera.

DE ASPERA ARTERIA.
CAP. XV.

ARteria hæc, larynge & cartilaginibus, *C* Græcum referentibus omnibus cõſtat, quę σιγμοειδεῖς vel σιγματοειδεῖς ob id vocantur, à quibus aſpera & inæqualis efficitur. Harũ pars craſſior foras vergit, tenuior & finis vterque intro, quà œſophagum tangit. Hæ membrana, oſſium modo veſtiuntur, & ab hac tum per ſuos fines ſecum, tum per ſua latera vicinis cartilaginibus colligantur. Tota hęc arteria tunicis duabus veſtitur, intus quidem denſa & du-

ra, villis vbique rectis intertexta, cũ tunica oris & œſophagi interiore cõtinua, foris verò molli & tenui neruos recurrentes colligante. Larynx verò arteriæ huius principium faucibus cõtinuum, tribus conſtans cartilaginibus: thyroïde ceu ſcuto quodam aliis præpoſita, arytenoide ſumma vaſis olearii os imitante, cartilagines tamen duas ſortita: tertia verò innominata infima, ori œnophori (quod brochum Galli vocant) perſimilis. Totus autem larynx pręcipuum vocis eſt organũ: beneficio muſculorum in myotome dictorum: quam tamen acutam vel grauem præcipuè facit arytenoides, adiuta cartilagine epiglottide, arytenoidem magis minùs claudente, laxatis aut cõtractis duobus muſculis ipſam releuãtib⁹, adiuta quoque gargareone, caruncula de pallato ſummo & intimo pendente, vocẽ ipſam plectri ritu modulante.

Tunica aſperæ arteriæ duæ.

Larynx, eiuſque cartilagines.

Larynx vocis organũ.

Vox acuta, grauis.

Gargareõ vocis plectrum.

DE PVLMONIBVS.

CAP. XVI.

Arteria venoſa. *Vena arterioſa.* *Aſpera arteria.*

PVlmo, carne molli, rara & velut ſpõgioſa conſtat, vaſis tribus intertexta: antè quidem arteria venoſa, pòſt verò vena arterioſa, & media harum aſpera arteria, hácque iam inde à quarto thoracis ſpondylo: vena à dextro cordis ventriculo, arteria à ſiniſtro: omnibus in totos plumones ramoſè diſtributis vſque ad ipſorum tunicam à ſubcoſtali ortam, & neruullos à ſexta cerebri coniugatione ſortitam. *Lobi pulmonis.* Pulmo tam dexter quàm ſiniſter lobis duobus conſtat: ſuperiore vno, altero inferiore, ſæpè palam diſcretis, interdum obſcurè. *Tertius pulmonis lobus.* Præter hos tertius eſt dexter exiguus, vaſis perpaucis textus, media cauitate venã cauam cor appetentem ceu puluino molli excipiens ac firmans, in hominibus ſternon oſſibus ſeptem compoſitum ſortitis. Quales Galeno & Mondino, & Nicolao Maſſæ Veneto ſemper ſunt obſeruati, nobis aliquoties, ſemel Geruaſio Guetaldo Aureliæ, medico longè præſtantiſſimo, & aliis ſcio certè, non paucis. Quibus verò cum ſterno thorax anticus eſt breuior, iis pericardios tunica in phrenas magna ſuæ cauitatis parte incidit, & in hanc caui-

tatem vena caua, lobo hoc quinto propter vię breuitatem non indigens.

DE PERICARDIO. CAP. XVII.

PEricardios tunica eſt craſſa, dura, villorum expers, à cordis baſi nata, cordíſque quod vndíque ambit, figuram imitata, à ſubcoſtali, quà thoracem dirimit, tunicam alteram mutuata, neruos autem à ſexta cerebri coniugatione, ſeu à recurrente ſiniſtro, venas & arterias à phrenibus, & membranis medianis: Phrenas, vt dixi, non attingit quibus ſternon ſeptem oſſa eſt ſortitum: attingit magis quibus duo tantùm, aut tria, & ea breuia, minùs quibus plura & longiora. Seorſum humorem largiorem, parciorem continet naturâ, ſed vaporum concretione per mortis frigus auctiorem.

Lib. 6. vſus part.

Humor in pericardio.

DE CORDE. CAP. XVIII.

COr vitæ principium carne conſtat ſua, ſed dura & ſolida, villos ſuos

Li. 13. vſus part.

certè validos ambiente rectos, à baſi ipſius in mucronem tendentes, tranſuerſos illis ad angulum rectum incidētes, obliquos horum ſitu medios: quorum

Diaſtole. rectis fit per diaſtolē ex caua vena ſan-

Syſtole. guinis, ex arteria venoſa aëris in vētres attractio, tranſuerſis per ſyſtolen ſanguinis in venam arterioſam, & arteriā magnam expulſio, fuliginoſi autem excremēti in arteriam venoſam: obliquis verò per quietes inter diaſtolen & ſyſtolen medias cor ſanguine ex vena caua in ſuum vētrem dextrum, ſpiritu ex arteria venoſa in ſiniſtrū attracto per-

Ventres cordis duo fruitur. Sunt nāque cordi ventres duo, carnis ipſius portione media ceu dia-

Dexter, Siniſter. phragmate quodā ſecreti: dexter idémque multò amplior, ſed carne & parciore & molliore ſeptus: ſiniſter verò alter ſpirituoſus multò anguſtior, & carne tum largiore tum dēſiore tectus: quorum vtrique ſua eſt auris neruoſa, caua, ad ora vaſorum materias immittentium affixa, villis etiam triplicibus contexta, ſanguinis & aëris ceu promp-

Vaſorum cordis orificia. tuarium quoddā. Sua etiam ſunt ventribus orificia vaſorum: dextro quidē venæ tum cauæ, tum arterioſæ: ſiniſtro

autem arteriæ tam magnæ, quàm venoſæ: & orificiis ſingulis ſuæ ſunt epiphyſes membranarum partim foris intro enatæ, ori ſcilicet venæ cauæ tres, arteriæ autem venoſæ tantùm duæ: & hæ omnes ambitu inæquales & velut laceræ (illæ ſanguini, hæ aëri in cor immittendo præfectæ) partim intus foras in duobus reliquis oribus, tres in vtroque ambitu ęquales, ſanguini tum craſſiori ex dextro ventre in pulmones per venam arterioſam, tum ſpirituoſiori ex ſiniſtro in magnam arteriam emittendo deſtinatæ. Omnium autem orificiorum in cor apertorum maximum eſt arteriæ magnæ, cuius ex corde initium eſt cartilaginoſum, magnis autem & vetulis iiſdem animalibus, oſſeum. Cordi etiam ſua eſt tunica, neruulum à ſexto pari aut recurrente ſiniſtro ſortita. Venam quoque à caua ventrem dextrum ingreſſura, circa baſin coronæ modo inuolutam, & ramulis inde multis in cordis corpus ſuperficiarium diſtributam habet, & arteriolas duas inęquales, ab aorta ſub membranarum epiphyſibus productas, & venæ coronariæ modo diſtributas. Internum e-

In orificiis vaſorũ cordis epiphyſes mẽbranarũ multiplices, quas valuulas vocant.

Cordis tunica neruũ recipit.

nim cordis corpus à ſanguine ventribus contento abundè nutritur & temperatur.

SCHOLION.

Duos Cordis ventriculos, ſeptum carnoſum, ſolidum valdeque denſum diſſepit: in quo ductus ſeu meatus ineſt, qui ab auricula dextra, paulum ſupra venam coronalem, ſtatim in ſiniſtram aurem tramite recto fertur, & per hunc ſanguini via, à dextro Cordis ventriculo in ſiniſtrum facilis eſt & manifeſta. Nobile Naturæ inexhauſtæ, ſuam cuique æuo laudem & gloriam ſeruantis: & poſteritatis etiam cum maiorum diligentia non iniuria vel incaſſum certantis, monumentũ. Quale et eſt foramen quod nuper in Cono Cordis vtrinque peruiũ nobis viſum eſt in ſcholis Medicorum Præſide D. Petreo Doc. Med. an. 1587.

DE MENINGIBVS.

CAP. XIX.

Craſſa meninx. MEmbranæ duæ cerebrum veſtiũt & muniunt, & ſuis vaſis nutriunt & temperant: Exterior craſſa & dura, cranio in ſuturis, & alibi paſſim colligata per vincula quædam membranoſa vaſculis plena, partim ab ipſa foras in pericranion emergentia, partim à pericranio in ipſam tranſeuntia. Inferno autem cranio vbi craſſior eſt, paſ-

ſim velut connata ſic inuenitur, vt eam ſeparare ſit labor: alibi & altiùs in cerebrum trifariam diuidendum dimiſſa, tantum à cerebro & tenui meninge diſceſſit, quantum illi ſuſcipiendo, dum pulſatione dilatatur & contrahitur, ſit ſatis. Cum tenui tamen meninge iuncta eſt in rhachitide, quia ibi non pulſat: alibi contracta eadem ac duplata, ſed in vaſis ibidem concluſi formam fiſtulata, ſanguinem in omnem ſuam & tenuis meningis & cerebri partem dimittit.

Interior autem meninx tenuior, non modo cerebrum vbique etiam quà id craſſa meninx quadantenus ſeparat, & quà ſunt ipſius meandri, veſtit, & vaſis irrigat, & nutrit, & temperat: ſed etiam in ipſius meandros & anfractus cum vaſis ſuis altiùs inſeritur, & ſub lãbdoidis ſummo in ventres cerebri, ambæ quoque rhachitida totam & neruos deducunt. *Tenuis meninx.*

DE CEREBRO ET CEREBELLO.

CAP. XX.

Lib. 8. vſus part.

CErebrum eſt veluti medulla quędã foris in magnos flexus tenui meninge interceptos digeſta, intus autem coactior. Nam ſua baſi cõtinuum non ſibi tantum, ſed etiam rhachitidi & per hanc cerebello.

Anticum cerebrum humidius.

Anticum eſt præhumidum, quò autem poſterius procedit, eò ſiccius euadit, vti & rhachitis ex vtroque nata, & neruos iam multos intra cranium velut enixa: hoc verò rhachitidis principio longè ſiccius eſt cerebellum, ex multis & admodum paruis corporibus coagmentatum, velut vſtione quadam ſubflauum.

Cerebellũ.

Antici cerebri vẽtres duo.

Meatus in tertiũ ventrem.

Pſalloides.

Meatus in quartum.

In cerebro antico ventres duo, prægrandes viuo homine: priori parte pueris quamplurimis, aliarum ętatum paucis, in foramina ethmoïdea peruij: poſteriore in tertium ventrem mediocrem, ſub pſalloïde concurrentes: à quo meatus eſt longus, ſed anguſtus, in viuis autem amplior, gloutiis ſubditus in ventrem quartum, omnium poſtremum & minimum, inter cerebelli baſin & parua quædam eiuſdem latera rhachitidi continua, & ipſam rhachitida conſtitutũ.

Quartus venter minimus.

Hi verò quatuor ventres pręcipuè, ſed etiam tota cerebri & cerebelli

&c rhachitidis ibi ſita ſubſtantia, ſpiritum animalẽ continent, facultatis animalis, &c per eam actionis motorię, ſenſificæ & principis authorem, qui plurim⁹ in cerebello eſt: quipe quòd principium omniũ neruorum in corpus totũ diſtribuendum erat futurum.

Quid ventres quatuor in cerebro præſtent.

Lib. 8. vſus part.

DE QVIBVSDAM TOTIVS CEREBRI PARTIBVS, CAP. XXI.

VEntres duo anteriores ſeparat corpus τυλλοειδὴς hoc eſt calloſum, ex cerebri antici ſubſtãtia durata coactũ, horũ ventriũ initio, & fine craſſum, in medio tã tenue vt perluceat. Ab huius fine ψαλοειδὴς corpus incipit, trib⁹ ceu arcubus ex durata quoque magis cerebri ſubſtãtia conflatis, tanquã fornicẽ ad ventris medii tutelam repræſentãs. Huic proxima ſunt γλούτια, & velut nates quædam geminæ, ex durata etiam cerebri ſubſtantia cõſtitutæ, ſuprà quidem & antè κωνάειον ſuſtinentes. Poſterius verò epyphiſin σκωληκοειδῆ: inter latus autem dextrum, & ſini-

γλούτια ſeu nates

κωνάειον ſuſtinent.

ſtrum conſtituentes meatum, à medio ventre ad poſtremum. In vaſorum autem ſublimium choroïde plexũ,& ventres anticos petentium diuiſionem ſecuram κωνάριον glandula, κώνῳ & nuci pineæ forma ſimile, cõſtitutum eſt, non autem velut præfectum ſpiritus animalis diſtributioni. Glandula altera, cerebro & craſſæ meningi in clinoïde ſubdita, quæ pituitam ex medio ventre per meatum amplum, & per anguſtiorem ſæpè ex poſtremo choanæ, id eſt infundibulo influentem, tranſcolat in palatum & nares: circa quam glandulam πλέγμα δικτυοειδὲς ex arteria carotide inibi ſæpius retium modo implexa, & intertexta conflatum, ſemper in omnibus hominibus (vt in calumniarum depulſione decimanona demonſtraui) conſpicuum, licet nunc minus, nunc maius. Choana, cauitas eſt mẽbranoſa infundibulo ſimilis, ex portione meningis tenuis ſeu choroidis facta. Hæc autem incipit vbi meatus duo coeunt: vnus ex fundo medii ventriculi, alter à meatu in ventriculum poſtremũ: deſinit autem in glandulam medio cauam, foraminibus oſſis ſphenoïdis in-

Altera glandula.

Plexus retiformis vulgò rete mirabile.

Choana.

ter apophyſes clinoïdus incumbentē ſub craſſa meninge, circum quam & πλέγμα δικτυοειδὲς loco omniū tutiſſimo collocatum. σκωληκοειδὴς ἐπίφυσις, corpus eſt ex particulis quamplurimis, per membranas tenues connexis, multipliciter, variè, denſè articulatū & cōpoſitum, modo vermium coſſorumve. tulas quercus depaſcentium, gloutiorū dorſo id corpus inuehitur, & illis vtrinque aſtringitur, & affirmatur per ligamenta quæ τένοντα id eſt, tendones appellant: ſecundum totum meatum, qui à ventre medio ad poſtremum fertur, extenſum eſt, ac ſpiritus animalis per eundem tranſitui præeſt.

Vermiformis epiphyſis. Lib. 8. vſ. part. & li. 5. Sanitatis tuendæ.

DE RHACHITIDE.

CAP. XXII.

Μύελος ῥαχίτης id eſt, medulla ſpinalis ſeu dorſalis, ex cerebri totius baſi exorta, eique corporis ſubſtantia ſimilis, cerebello etiam continua, neruorum propè omnium principiū: per rhachin totam deſcendit, ſemper ſeipſa, & durior, & minutior reddita: neruorum paribus (quæ intra craniū qui-

dem quatuor poſtrema, in rhachi autē viginti nouē producit) tandē velut effœta in finem deſinitbreuem,acutum, ſimplicem cum coccyge. Veſtiturquoque vti cerebrum meninge tum tenui vaſa ipſam nutritura colligante,& ſubſtantiā eius admodum mollē, cerebro tamen non paulò duriorē conſtringēte, tum craſſa tenuem ābiente& muniente contra ſpondylorum duritiem. In quod ſubſidiū tertia pręter has tunica neruoſa, valida admodum & craſſa & aſpera,humoreviſcoſo circunfuſa, illis duabus eſt circundata: per quam rhachitis à cerebro differt, & quòd pulſu motuque caret, & quòd nullum habet medium interuallūmvt cerebrūm. Venæ verò & arteriæ ex vicinis maioribus vaſis tot paria rhachitidem, & ſpondylos nutritura immittunt per foramina etiam neruis communia,quot per eādē neruorum paria emergunt. Oriuntur autem, tenuis tunica rhachitidis à tenui meninge cerebri, vt craſſa à craſſa: ſed tertia illas complexa,& colligās, & muniēs,ab oſſe occipitis quo loco ſpōdylis committitur: deſinunt autem in ima ſpina. Porrò horum trium ventriū

Tertia rhachitidis tunica.

Gal. com. 3. in libr. περὶ ἄρθρων.

modò commemoratas partes coniungi dicimus:ſupremi quidem meningibus,medii coſtali ſeu ſuccingẽte coſtas membrana: infimi peritonæo: id enim nutritorias partes (vt antè docuimus) ambitu ſuo omnes conueſtit& ſingulis peculiarem largitur tunicam.

Epiploon,etiam à peritonæo exortũ ſimam hepatis, lienis, vẽtriculi fundũ, coli vicinam huic partẽ, & ecphyſeos etiam colligat: & meſenteriũ, à peritonæo quoquevel peritonæi origine productum inteſtina,hepar,lienẽ,vẽtriculũ cõnectit. Ad hæc vena porta, & portio quædam lumbaris cauæ, & arteriæ, & neruus tum coſtalis tum à lumbis & oſſe ſacro exiguus,multas partes nutritorias colligat&ſua facultate iuuat. Hepar pręterea in multis colligant peritonæo vincula quędã membranoſa,vt interdum lienẽ,& coſtali tunicæ pulmones. Sed quibus aliis partes tum hæ, tũ aliæ alligenter, ſpectãti clariùs apparebit quàm legenti aut audiẽti. Nunc ad adminiſtrationis anatomicæ explicationem tranſeo.

DE ADMINISTRATIONE ANATOMICA.
CAP. XXIII.

Corporum delectus. ADminiſtratio anatomica mihi cõſtat, in corporũ delectu, inſtrumentis idoneis, ſectionis modo. Corpus hominis temperatum ſit, ergo bene carnoſum, magnitudine mediocre, iuuenile: id enim vt eſt ſaniſſimum, ſic partes oſtendit integriores ſubſtantia, magnitudine, numero, figura, ſitu & connexione. *In omnibus corporibus exercenda ſectio.* Tamen in omnibus exercenda eſt ſectio, nec ſine aliquo cõmodo: nam gracile venas, arterias, neruos promptiùs & clatiùs exhibet: obeſius adipem, tunicas, membranas: longius enormi magnitudine, vt breuius paruitate, partium figuram vitiat. Quanquã nihil prohibet tẽperatum eſſe aut paruum aut magnum, ſi modò vtrique adſit partium omnium eucraſia, & ſymmetria, & actionum perfectio. *Pueri.* In pueris partium teneritas ſectionẽ facit prõptam, & multa ætatis huiuſce corpus habet ętatibus aliis negata: ventres cerebri anticos in oſſa vſque ethmoïdea pertu-

pertuſos, oſſa cartilaginoſa, epiphyſes manifeſtas, oſſium ſterni, ſacri, coccygis, innominati apertas diſcretiones: Senes oſſa perfectiora, duriora, coactiora, cartilagines in oſſa duratas, partes ſolidas omnes duras, & corii modo rigidas, ob id fractu dum violentius tractantur, contumaciores. Adhæc morbo etiam ſublata corpora ſecabis, vt mortis cauſa tibi certiùs cognita te in alijs prudentiorem reddat. Nec hominum corpora ſolùm ſecabis, ſed etiam ſimiarum, & aliorum animalium homini in multis ſimilium: tamen malim te in ſolius hominis partibus primùm exerceri: deinde ſcientia hominis partium conſummata in aliis animalibus colludas. Quãquam veteribus exercitationem hanc video primam placuiſſe in ſimiis: vel quòd illarũ quàm hominum ſecandorum copia erat maior, vel vt homines formidoloſos paulatim aſſuefacerent corporibus hominum ſecandis. Nam reuera plerique ſunt initio tantà animi paruitate, vt animo ſtatim linquantur, ſi vel morborum vel remediorum nomina audiuerint, multò plures in idẽ ſymptoma incidunt, ſi

Morbo ſublata corpora quare ſecanda.

Simiæ & alia animalia ſecãda.

vulnus apparari viderint, aut venam incidi. Plurimi autem hominis ſectionem per initia auerſantur, nec ſine animi magna moleſtia ferunt: ſi tamen poſſunt, ſtatim ab initio hominis corpori primùm ſpectando dum ſecatur, deinde etiam ſuis manibus ſecando aſſueſcant. Simplex enim illa diſcẽdi ratio, & breuior eſt, & certior, & memoratu promptior, dum vni tantùm hominis corpori ſumus intenti, neque aduertimur ad partium noſtrarum cum partibus aliorum animalium ſimilitudinem vel diſſimilitudinem. Quæ res profectò ingenia etiam præclara multùm turbat, & hodie etiam cogit ambigere de hominis ne, an ſimiæ partibus, hæc vel illa ſint cõſcripta. Vnius itaque hominis vt ſanitatem & tueri, & amiſſam reſtituere medici eſt munus, ita & partes penitiùs, & maxima cura exploret. Sed vt ſimias aqua ſuffocatas Galenus deligebat, ſic homines aquis merſos delige potiùs quàm laqueo ſtrangulatos, vel truncatos, vel vulnere enectos aut morbo aliquo cõfectos. In ſuffocatis enim omnia ſunt integra, ſi aquæ magnam vim ex ventriculo manibus

Homines aquis merſos ſecãdos potiùs quàm alios.

compreſſo per œſophagum effuderis. Qui verò ſunt ſtrangulati, partes colli omnes habent contuſas, & caput ac thoracem ſanguine pleniora, quàm vt earum partium naturam poſſis facilè explorare. In truncatis perit partium quamplurimarum continuitas, & ſanguinis multa vacuatio venas, & arterias reddit flaccidas, ob id parum conſpicuas. Quæ incommoda etiam ſunt in his quæ vulnere inſigni ſunt enecta. Si autem id vulnus ſua eſſentia fuerit paruum, ob læſæ tamen actionis præſtantiam, magnum & inſigne dicetur, vt initio rhachitidis, in corde, in neruo vulnuſculum: vt etiam à caſu non ita violento ſint mortui deprehenſi. Morbo denique mortui partes ſæpè multas ob noxam inſignem habent vel putres vel à ſua natura ita mutatas, vt ſpectari eas vel nequeas, vel ob graueolentiam non velis. Tamen etiam horum ſectio non eſt, vt antè dixi, infrugifera, quomodo neque eorum, quibus totus ferè ſanguis effluxit. Nam & ſæpè ſecta caua ſanguinem totum in vas ſubditum effundimus & lauamus, ne is poſtea partes alias obſcuret, vt pòſt audies,

Strāgulati. *Truncati.* *Vulnere enecti.* *Morbo mortui.*

Inſtrumẽtorum delectus.

Inſtrumentis vtor admodũ paucis,ſcalpris,figura,acie,materia variis,metallica, buxea, eburnea: cultello perbreui, forma cordis,ſed ancipiti: & ſerra omnibus conſueta,præterea falcata, & ea nunc in dorſo,nunc ſimo dentata:&tubulis inflãdo cauas partes vtilibus. Nec tamẽ prohibeo, vel ad apparatum maiorẽ aliis vti: & his vel argenteis vel aureis,& ſi vis, ex quauis materia, modò ſint affabrè concinnata: ſi gloriam captas ex eorum pulchritudine,& multitudine. Hanc inſtrumentorum ſupellectilem tam variam,nec appello, nec pingendam exiſtimo, ſed ſpectandam, & viſu cognoſcendam tibi relinquo, dum ſectiones vel obſeruabis,vel etiam cum alio peritiore, & inſtrumentis eis inſtructiore obibis. Nam & ſectionis modum viſu, & tactu tibi experiundũ potiùs duco, quàm auditu & lectione: quæ ſola neque nauclerum,neque imperatorem, neque idoneum theriaces compoſitorem vnquam fecerit:ſed ipſa potius adminiſtratio aut viſa,aut etiã tuis manibus tractata: tamẽ paucis admodum verbis ipſos ſectionis idoneæ fontes aperio, in venis, arteriis, neruis,

Viſu & tactu potius, quam auditu & lectione diſcenda ſectio.

muſculis, contentis ventre inferiore, ſuperiore, cranio, & paucis quibuſdã aliis partibus. Nam oſſa & oſſium medulla, & adeps, & aliæ partes non paucæ ſimplices ſe ob oculos ſecando paſſim offerunt, vt non ita curioſam requirãt obſeruationem Venas igitur & arterias ſic diſquires, vnguibus, aut obtuſo cultello, & ſuſpenſa manu, ne ipſarum tunicam violes, ſanguinemque operis tui perturbatorẽ effundas, deteges: vt ſpectes, quò, & quot, & quantis ramis diſtribuantur. Quod ſi tuæ manui parum fidis, eas ex paruis interuallis laqueo per acum librariam ſeu intortam iniecto, excipe, vt ſi imprudens venam ſęcueris aut laceraris, paucus & ſolus qui inter vincula eſt effluat. Quod ſi largior ſanguis affluat opuſque tuum nimis turbet, totum eum effunde, & vaſa ablue, & aquam in ſubiectam peluim abiice, poſt, inceptam ſectionem perfice, immiſſis in vaſa filis quibuſdam ferreis aut plumbeis, aut etiã betulę, vel ſimilis plantæ ſurculis: ſecũdum quę fila ſectionem vaſis totius, & ramorum perſequere. Potes etiam non infœliciter tunc vaſorum diſtributionẽ

Venarum & arteriarum diſquiſitio.

inflando per tubulos explorare, quod probo magis, quàm humorem crocatum, vinatum, vel aliter coloratum in ſanguinis iam effuſi locum per tubulos immittere. Hi enim opus poſtea interturbant dum effluunt colore ſuo, quo venas reddebant magis conſpicuas, & repletione diſtentas. Venas portæ ſimiliter aut plenas ſanguine, aut flatu, humoréve colorato explorabis: ſed faciliùs ligato duobus locis ſtomacho, & inter vincula ſecto, deinde in ventrem inferiorem deturbato †. Sic enim portæ diſtributionem in ventriculum, lienem, inteſtina, epiploon, prõptiùs conſpicies, quàm ſi inteſtina huic portę diuiſioni oppoſita ſeparare coneris: ſic enim multos venæ ramos abrumpas neceſſe eſt. Quo autem modo plexum retiformem inuenies à ſola carotide pręcipua contextum, paucis accipe. Arteriam carotidem vtranque in collo, iugulari internæ & neruo ſextæ coniunctam, preme digitis, & ſanguinem ab ea in cerebrum velut emulge: poſteà, & dum id efficis, inſpice aperto cranio, & ablato cerebro toto, & ſecta modicè craſſa meninge ad neruorũ tertij paris

† Aut etiã aliter ſic. Epiploi in omnem dimenſionem expanſi fundũ diuide, ac deinde Epiploum anticum in vẽtriculum & pectus reflecte: actum, ligato duobus in locis meatu per quẽ bilis in duo-

originem,& viam primã.Eo enim loco arterias hunc plexum texentes inflari, & extenſione nonnihil moueri ſpectabis: & ſanguinis aliquid per duas illas arterias opticis neruis propinquas (in quas plexus tandẽ degenerat) exudare: & ſi recens mortuum animal & calens adhuc,etiam impetu erũpere. Deinde, cõtrà,has arterias ſi cõprimas, in carωtidas ſanguinem regurgitare ſpectabis. Si in altera tãtùm carωtide id explorare libet,idẽ in eo latere ſpectabis. Præterea flatu per tubulum aperta carωtide idem explora & ſanguinẽ quoque cernes expelli cum flatu:& hoc toto vacuato, flatum ſolum per illas duas opticis neruis vicinas erũpẽtem cernes. Quod ſi inanibus iam arteriis coloratum humorem impuleris flatu in tubulum,colorari plexum retiformẽ ſimiliter ſpectabis & per arterias ſupernas effluere, per quas ſi eadem tentes in colli carωtidibus ſimilia ſpectabis. Si hæc tibi non ſatisfaciunt,ſequere carωtidas colli, ad vſque ſuum in oſſe lapidoſo foramen obliquum, & id vel ſerra falcata,ſed in dorſo dentata, vel forcipe dentẽ vnum fortem & prælongum ſortito,vel etiam

denum deponitur, & eodem inter hæc duo vincula diſciſſo, erunt faciles inuentu Cyſticæ, Gaſtrica pyloro, Gaſtrepiplois: & cæteræ cõſequẽter.

ſcalpro valenti per malleum impacto, ſecundũ foraminis longitudinem diuide, ſic tamen ne carωtidem, ſi poſſis, violes. Poſt id nãque foramẽ, arteriã in duas diuidi cernes: deinde in alias atq; alias, plexu multiplici ſibi mutuo intertextas: quarũ cõgeries maior eſt ad latera ſphenoidis. Tamen interdum tam magnus eſt is plexus vt etiam poſterius feratur, & initiũ dorſalis medullæ attingat: interdum etiam glandulam pituitariã ambit. Nulla in vaſis aliis eſt difficultas. Neruos à cerebro ortos, ſectis vt dixi, oſſibus, ſequere pręſertim paris tertii, quinti, ſexti, ſeptimi. Qui verò à dorſali medulla prodeunt in brachia vel crura, admodum perſpicui ſunt ablatis muſculis ſpondylos ſuę origini datos tegentibus. Muſculos in quibus eſt opperoſa magis anatomica adminiſtratio, ſeparare aggredieris, nunc à ventre, vbi linea quędam alba diuiſionis index conſpicua eſt, nunc à capite, nunc ab aponeurωſi ſeu fine: prout clariorem & faciliorem diuiſionẽ pręſumpſeris, & ſuperiores ſubiectis priores, & vnum à capite, alterũ à fine ſecabis. Vt partes ventris inferni

Neruorum diſquiſitio.

Muſculorum ſeparatio.

Partes vẽ-

planius ſpectes etiam cartilagines exci-
de: vt eas verò quæ thorace continen-
tur,coſtas proprius radices frãge&exce-
ca. Mox partes ipſas ſine vlla ſectione
diſquire &obſerua:quibus ablatis alias
intus latẽtes obſeruabis. In quo opere
tibi eſt opus imitatione magis quã præ-
ceptione,ob id ne ſim verboſior, ab his
particulatim percenſendis abſtineo, ſi
addidero, villos partium elixarum fa-
cilius quàm crudarũ deprehẽdi. Sphe-
noïdis foramina,ablato cerebro & glã-
dula ſpectabis,& ſub his ſinus duos in-
ſignes tenuiſſimo oſſe & tectos & dirẽ-
ptos:in quos pituita per dicta foramina
excernitur,& inde in palatum & nares:
id quod ſectis oſſibus hos ſinus ambiẽ-
tibus promptè & clariſſimè ſpectabis.
Oſſa ſeſamoïdea in digitis quà flectun-
tur promptè inuenies, ſi extendentem
tendonem excideris, deinde articulo-
rum ligamenta trãſuerſim ſecueris. Mẽ-
branas tres fœtus ſic reperies. Digitis
duobus tolle partem tunicarum vteri
& ſeca,pòſt digito vno immiſſo chorió
molliter ſepara, ſectionẽ paulatim au-
ge, quantum ſcilicet chorii ſecretionẽ
digitis tuis promoueris. In quo opere

tris inferni quomodo ſpectandæ.

Sphenoidis foramina, & ſub his ſinus duo.

Membranæ fœtus quomodo reperiantur.

obſerua cotyledonas, quibus chorion vteri tunicæ adhæret potiùs quàm ſuo corpore. Nam hæ in calidis & multi ſanguinis mulieribus facilè apparent calente adhuc muliere. Vbi totum chorion à toto vtero ſecreueris, ex vtero eximes in peluim: deinde ſecto aut pertuſo chorio, id ab amnio digitis ſimiliter ſeparabis, & ab allantoïde, qua parte interiacet. Ablato deinde chorio totum fœtum inuoluente, ſpectabis amnium etiam fœtum vndique ambientem, & per amnium tranſparentem ſpectabis ſudorem largiſſimum, & in eo innatantem fœtum. Spectabis præterea in latere altero amnij albiore ſcilicet ad digitorum duorum latitudinem, tunicam allantoïde ibi propè ſemper vacuam, ſed quæ in vtroque extremo intimis carnibus ſuis innexo, vrinam fœtus non ita multam contineat: quam ſi in mediam allantoïdem regeras, in vrachum repelles: hanc digitis clementer ſepara, nam firmiter amnio altera ſuarum tunicarum hæret. Hæc ſectis cornibus poteſt inflari, vt clariùs ſpectetur. Potes etiam aperto amnio, & emiſſa vrina, apertá-

que fœtus veſica, per eam vrachum & allantoïdem inflare: ſicque illam videbis inteſtino laxiori ſimilem, velut accinctam ipſi amnio. Potes etiam ligatis vaſis vmbilicis & ſectis fœtum extrahere, & contracto amnij foramine, per tubulum inflare amnium, deinde firmiter ligare, ſicque vtranque ſpectabis ſecretam, ſed tamen parte aliqua adhuc connexam allantoïdem: & hanc, ſi vis, totam ab amnij latere cui adhæret ſeparare potes, & per ſe inflare, & ſeruare. Iunctas tamen inflatáſque ſeruare ſoleo, vt cæciores talpa Momos quoſdam hac tempeſtate viris vndequaque abſolutiſſimis, Hippocrati & Galeno infeſtiſſimos planè cõuincam. Hæc de adminiſtratione anatomica tantùm ſcribenda cenſui cùm multò pluris faciam in hoc opere inſpectionem hiſtoriarum naturæ & tractationẽ, quàm narrationem, quæ verbis admodùm multis, neque artem naturæ ſatis exprimentibus, temporis multum requirit, & frugis habet parum: cùm naturæ liber ſtatim ob oculos omnia ponat quorum eſt fides certior quàm aurium. Huc pertinet, quod

Galenus ſæpe cupiebat, res poſſe ſine nominibus doceri, quod nomina ipſa ſint, velut vmbræ quædam rerum non expreſſæ imagines, vti ſunt conceptus rerum, qui, vt res ipſæ, apud omnes homines ſunt ſimplices & iidem: cùm nomina ipſa ſint apud gentes ſingulas de re vna, diuerſa: imo apud nationem vnam ſæpe etiam rei vnius variæ ſint multũ appellationes. Quæ res facit vt nominibus paucis vtendum ſit, cùm illorum nec vtilitas magna eſt, nec neceſſitas: cũ ſcilicet quæ docentur ſpectari nullo negotio poſſunt. Sed mihi Iſagogem præſertim ſcribenti hęc in pręſens ſufficiant. Vos verò candidi & pii lectores, qui ad medicinam animum appuliſtis quique iam noſtro ductu & auſpiciis, Hippocr. & Galen. lib. anatomicos lectum eſtis admiſſi, grati animi ſignificatione quod in gratiam veſtram fecimus ſemper proſequimini, & ex Hippocratis & Galeni puriſſimis medicinæ fontibus veram medicinam haurite, eos obſeruate, colite: ita fiet vt à teterrimo ingratitudinis vitio vos vindice-

tis, & æterna apud omnes bonos commendatione ſemper vigeatis.

IACOBI SYLVII Iſagoges anatomicæ Libri Tertii, Finis.

IN VARIIS CORPORIBVS SECANDIS obſeruata quædam à Iacobo Syluio Medico.

PAtomū ſecui lapſum ex alto, aperto ventre inferiore mox effluxit ſanguis mult⁹, in ſpatium fractavena caua effuſus. Hepar habuit magnum, pallens, quale eſt coctum, & cocti modo tenerum & fragile, lobis tantùm duobus: vno maximo dextro, minore ſiniſtro. Id vincula habebat ad nothas coſtas, & ad vmbilicum, vinculum omnibus commu- *Hepar.* *Vincula hepatis.*

ne ex vena vmbilica: ab vmbilico etiã arteriæ in veſicam adhuc erant conſpicuæ, quãuis annos natus eſſet quadraginta. Renem ſiniſtrũ habuit parte poſtica planũ non rotundũ, & ab eius vena emulgẽte rami tres inſignes ad lienẽ ferebãtur: quem habebat cineritio foris colore cum ſcirrhis paruis duobus lapidi ſimilib⁹, intus erat velut coctus. Nullum foramen erat à capacitate vẽtris ad ſcrotum, ſed peritonæum è regione meatus, quo deſcendũt vaſa erat integrum: vaſa ſub hoc tecta deſcẽdebant cum peritonæi portione. Saphenã interiorem vidi ortam à ramo cauæ, tribus digitis ſupra inguina, quæ proxima cuti ad pedem delabebatur, ramis aliquot obiter ad cutim emiſſis: magna verò vena ſub internis cruris muſculis deſcẽdit ad poplitem, vbi in muſculos tibię magna ſui parte finiebatur. In genu ſiniſtro ſub cute ſcirrhũ habuit patellæ ſimillimum, ſectus autem is vera erat cartilago & in ea paruæ aliquot cauitates cum ſero. Crus fregerat ad caput coxæ, fregerat & ſternum medium. In ventriculo nullę rugæ erant neque vnquam reperiuntur, niſi dum ob

Ren. *Lien.* *Saphena vena.*

inanitatem contrahitur, vt venter mulierum quarundam à partu. Os vētriculi durū, rugoſum & ſolidius apparuit, atque albius. Diaphragma vbique proximum fini hypochondriorū, vt etiam deſcenderet propè renes. *Os ventriculi.* *Diaphragma.*

Habuit in coxa paſſim ramos quoſdā tranſuerſos venæ & arteriæ communes.

Manifeſta in eo fuit arteria in ſimā hepatis inſerta.

HOminis corpus in ædibus meis ſecui anno 1553. pridie Paſchæ, cui renes ampliſſimi, & ad dextrum arteria duplex inſerebatur: hepar habuit ſimiliter maximum, breuiſſimum tamen, ſed latiſſimum & craſſiſſimum, supernè propè planū, & diaphragmati lōgiſſimo & fortiſſimo vinculo appenſum à ventriculi ore ad hypochondrii initium. *Renes ampli.* *Hepar.*

Vena caua per medium ferè diaphragma aſcēdebat, mox ad dextrū cordis ventriculū ſine quinto lobo: nā thoracem habuit breuiſſimū ſed altiſſimū, & in eo cor maximū: arteriam magnā longè ampliſſimā, ita vt carotides pollicarem craſſitiem æquarent ſub dua- *Vena caua.*

bus valuulis rami duo inſignes & ęquales in cor: pericardios connaſcebatur medio diaphragmati.

Azygos Vena azygos in eo coſtas omnes nutriebat, non ſolas octo inferiores. Habuit ad coronariam in bregmatis oſſibus foueas digitum latas propè in pericranium peruenientes. In cubito externo muſculus inter radium & cubitum medius, ſed habebat tēdones, quatuor extendentes, & duos qui minimū & annularem abducerent. In eodem à muſculo quodam ſupra extendentem, vnicus erat tendo abducens indicem, medius abducente omnino carebat.

Mulier in puerperio mortua. IN muliere puerperio mortua obſeruaui peritonæum verū duplum vbique, & inter duplaturas ferri vaſa vmbilica, arterias ad ramos arterię magnę crurales, & vrachum ad veſicæ fundū, & hæc deorſum: ſurſum verò venas, quę vbi è regione ſimę partis fuerunt: aſſūpto altero peritonęo, ſcilicet interiore, in ſimam hepatis ferebantur etiā altiùs, vt venam cauam attingerent.

Venam præterea & arteriā ſub rectis muſculis conditam, cum vaſis mām̄alibus communicantem, ad os ilium ſub

perito-

peritonæo tendentem ad ramum venæ & arteriæ cruralis: ſupra quarum muſculis rectis tectarum exortum, ex vaſe crurali adunius fermè digiti craſſitudinem vena & arteria exoriebatur, priori propè oppoſita, præcipue arteria (nā hęc alteri eſt vicinior quāvena venæ) vtraq; cōtigua varicoſè ſecūdū os iliū deſcēdebat verſus vteri collum: vbi cum aliis permultis ex crurali prouenictib⁹ in collum iungebatur, quæ etiam in corpus vteri ſurſum longius ferebātur, donec occurrerent vaſis aliis, quæ à ſpermaticis paulò antè natura ſeparauit, vt docet Galenus in anatome vteri. Per priora illa vaſa māmis cūmunio eſt cū vtero, quamuis vnū (vt dixi) nō ſunt, ſed duo ex ramo crurali orta.

Os vteri ita extenſum & lacerum erat vt vix appareret. Vterus magnitudine capitis erat adhuc, & craſſitie pollicari. Intus ſanguinis reliquiæ, & ora vaſorum craſſo & nigro ſanguine adhuc ſudantia. Vincula vteri cum oſſibus ilium, ſacro & lumborum, & inteſtino recto firmiſſima, parte anteriori nulla, præterquam cum veſica admodū exigua: Inteſtinum cęcum craſſitie mino- *Os vteri.*

ris digiti erat & ſolidum, vt multis accidit, quibus ab ileo in cœlō mox ſtercus tranſit per os cæci tantū. Cœlō tres

Cœlon inteſtinum. villorum rectorum ordines habuit, ſingulos digiti parui latitudine: quivbi rectum inteſtinum minùs cœlo capax attigerunt, id vndique cingunt.

Fœtus. Fœtus à matris febre velut excoctus cutim habuit proptè lacerabilem, & carnē ceu coctione friabilem. In eo ramū à caua ad arteriam venoſam, & ab arteria magna ad venam arterioſam inuenire non potui. In eo vena ad ſolā ſimam hepatis ferebatur, nulla ad pancreas. Sed de his vaſis lib. 6. & 15. vſus partium multa.

PVella propter glādulas in toto corpore ſcirrhodes, per atrophiā mortua pilos habuit denſos & longos in corpore vniuerſo. In eadem meatus à folliculo fellis erat vnus, alter à cauiſſima parte hepatis, in vnum autem

Lobi hepatis 3. corriuabant communē ecphyſi. Lobi hepatis tres, maximus ſub hypochōdrio, in quo folliculus fellis, alter anticus, inter has vena vmbilica cum ligamento peritonæi, tertius omnium

minimus intimus ad portæ venæ exortum.

Vterus in ea velut bicornis, vt in multiparis apparet, verum id efficit eius breuitas & teſtium, vaſorum ſpermaticorum diſtantia longior. Nam vbi peperit mulier, quantum vteri fundum ſupernè fertur, tantum deſcendere videntur teſtes, cornua, & vaſa: ita vt propè in medium incidāt vterum, cùm puellis abſint hæc longiſſimè ab vtero, vt fingere poſſis vterum eſſe mulieri vt polytocis animalibus bicornem. *Vterus bicornis.*

IN SIMIA MASCVLA.

APoneuroſis eſt muſculorum obliquorū deſcendētium ſupra muſculos rectos. Epiploon altè ſub inteſtina ad os pubis occultum deſcendit: alligatur infernæ parti lobi vnius hepatis, & altè ſupra fundum ventriculi aſcendit. Hoc emoto inteſtinum colon nigricāte colore (quia opinor, herbis multis veſcebatur) triangulum, lō-

gum ſeſquipede aut plus, cellulis permultis altè ſtriatū:per huius latera duo media ab inteſtino cæco duę neruoſæ ceu corrigiolę, vngue dimidio latę, vſq; initium inteſtini recti feruntur: per latus tertium venę meſenterii inſeruntur. Hoc inteſtinum ad fundum veſicæ ſuper os ſacrum ſerpentis modo inflectitur, vt illi annexum rectum inteſtinum etiam ibidem anfractuoſum, & longum ſeſquipede. Idem colon ad fines loborum hepatis receptum reflectitur ad inteſtinum cæcum humano perſimile. Inteſtinum tenue admodū breue in ſimia.

Hepar peritonęo multis locis annexum. Liē quāminim9, longulus, ſed velut dentibus conciſus. Teſtes humanis maiores, venis per epididymidē ambage viarum diſtributis. Erat enim ſimia verucce paulò minor. Pudendi tunica qualis homini ſed laxior. Glans obtuſior quam homini. Parte inferna meatus eſt vrinarius, in medio meat9 eſt ſuprà amplus, & ſemē ſanguinemque cōtinens, infernè exitum manifeſtum nō habebat, fortaſſe ob cōtinentiam. Renibus & Caua emotis, videas tendones

robuſtiſſimos muſculorũ in ſpinas interna lumborum accumbẽtium, à quibus in magnum trochanterem inſertis tollitur crus. Ibidem videas ex duobus ſpondylis lumborum concurrẽtes neruos duos vnà efficere craſſum, qui in crus medium deſcẽdit. Super diaphragma vena eſt, ſiue pars ex caua naſcens ſub corde, quę ſub corde ſecundũ baſin ad ſiniſtram cordis articulam feſtinat: inde diuiſa ramum bifidum mittit duobus meſopleuriis, vtrinque reliquũ deſcendit ad reliquas ſex coſtas inferiores dextras & ſiniſtras: ſupra cor itẽ alia vena ſine pari, quę dextra ſpondylorum parte deſcendit ad octo coſtas inferiores nerui ſextę coniugationis, pars quæ ad radices coſtarum fertur ad linguæ radicem ſeparatur: reliquum deſcendens non inuolutum mẽbrana communi cum carotide, vt in homine. Muſculus latiſſimus ſuper infernum omoplatæ angulum laxior ſuperfertur, deinde vno tendone in brachii ceruice locum paulò inferiorem: parte altera ſui carnoſa ſecundũ bicipitem deſcendit & tendone inſeritur in olecranum. A parte reliqua coſtę in-

fernæ omoplatæ vnus in brachiũ propè inſertionem latiſſimi, vt in homine. Deinde deltoïdes vt in homine. Sub ſpina omoplatæ vnus, & ſupra vnus, vt in homine, qui ſub ſpina tẽdone in caput brachii carne in eiuſdẽ ceruicẽ inſeritur. Sub pectorali vnus eſt parte vna natus ab exortu rectorũ quę in brachiũ aponeurωſi deſinit propè tendonem pectoralis & ligamentum ſupernum bicipitis: parte altera maiore à reliquo ſterno tendone lato in ligamenta commiſſuræ brachii & omoplatæ & coracoidis. Biceps in radii initium intus, brachiæus in cubiti initium propè totum, & ligamentum ipſi cum radii principio communi. Cubiti flexores in brachio vt in homine cubiti tenſores etiam, ſed hi inſignes: vnus à coſta inferna omoplatæ, alter à ſummo brachio, ambo in olecranũ cum germine quodã latiſſimi. Membranoſus ab oſſe ſacro inferno & muſculo craſſo gloutio, tegit modo deltoïdis articulum, & portione ſui in os cruris ſub trochantere abit, reliquo vt in homine. Rectus, vaſti, crureus, in tibiam per rotulam. Sub membranoſo craſſus eſt, totum

cauum externum oſſis ilium occupans vſque os ſacrum in coronon ſeu roſtrũ totum trochanteris magni deſinit: ſub hoc infernè paruulus in cauum trochanteris magni cum tribus tranſuerſis & duobus obturatoribus fertur. Lumbaris biceps totus in trochantera paruum deſinit. Tricipitis pars longiſſima, à tubere in condylum: altera portio inſignis, à tubere etiam nata, poſtico cruri propè toti affixa, ad vſq; cauitatem inter duos condylos mediam: tertia minima & breuiſſima, à commiſſura oſſis pubis, in mediũ & poſticũ os cruris.

Abductor tibiæ à tubere in molam & finem cruris & principium tibiæ tẽdone inſeritur, & bona ſui portione degenerat in muſculum carnoſum. Adductor craſſior à cõmiſſura oſſium pubis cum longo coit diu, & aponeuroſi ſubcarnoſa in tibiam longè inſeritur oblique.

Sub his flexor tibiæ paruus à tubere ortus propè abductorem, tendonè obliquo in tibię principiũ ſub epiphyſi abit, vt etiam abducat, & antrorſum tibiam totam cum pede vertat. A tu-

bere deinde mediocris tendone in ipſum tibiæ principium internè & anticè inſeritur. Duo alii graciles à tuberte, quorũ interior in epiphyſin tibiæ, exterior in tibiæ os ſub epiphiſi: ambo tibiam flectunt.

Capita gemellorum oſſa ſeſamoïdea habent firmantia in condylis crus cum tibia. Popliteus vt in homine. In poplite multum adipis. Plantaris in ligamẽtum craſſum plantę toti ſubditum deſinit, eſtque maior quam in homine. Soleus ad vſque pternam carnoſus.

Peronęi portio maior tendone poſteriore poſt epiphyſin perones reflexo, os ſeſamoïdes aſſumit ſub commiſſura cyboïdis & pternæ: poſt, obliquus in os pedii maius inſeritur, minor portio tendone in os minimum pedis: ipſum ambo extendunt, & hic germen tendonis in paruum digitum abducendum emittit.

Tibiæi tendo alter aſſumit ſeſamoïdes è regione commiſſuræ aſtragali & ſcaphoïdis.

IN OVE.

VTerus ouis eſt bicornis qualis eſt polytocôn: nam cornua habet duo prælonga, acetabulis circiter 20. vtrinque (quæ in his ſunt velut grana quædam tritici humectati) rufa plena: quę vterum propè totum cõſtituunt, & cauitatem habet inſignem vſque ad extremum. Hæc pertuſa & inflata vteri reliquũ inflant, & aër tandem foras erũpit per collum vteri.

A collo autem vteri inflato nihil intro ingreditur quia via eſt anguſta & multùm anfractuoſa, cartilaginibus & iter obſtruentibus, & anfractus quinque, ſex miros aſpectu efficientibus.

Teſtes ſunt omnino extra cornua in ligamentis, vbi vaſorũ diuiſionẽ in vterum & teſtes & vaſa deferentia pulchrè ſpectabis.

In ouis cranio ad frontem cauitates maximæ cauitati cornuum continuæ, plenæ carne glandoſa, quã vaſa nutriunt immiſſa per foramen propè oculum. In tunica externa œſophagi car-

noſſimi villi ſunt foris recti, intus obliqui ceſſantes ex vtroque latere in vnam lineam.

Vterus vaccæ, prægnantis dies fortaſſe ſeptem, habuit in altero cornu & vtero velut albumen oui quantitate & conſiſtentia, in cuius medio rotundum & craſſiuſculum iam aliquid apparebat: deinde materia quædam viſcoſa, ſed liquida effluxit, quæ ſemen vaccinum videri potuit.

Cotyledones iam apparebant magis in eo cornu, quàm in vacuo.

Vterus alter prægnantis vaccæ circiter tres ſeptimanas, vitulum habuit perfectum, ſed magnitudine parui catelli: in quo omnia erant ob craſſitiẽ firmiora, quàm in grandioribus.

Tunica peritonæos erat craſſiſſima, multò tenuior, & vbique, velut connata vteri tunica, ſed arctiùs è regione cotyledonum.

Ei vbique atque adeo in totis cornibus continuum eſt chorion, & è regione cotyledonum tanquam cõtinuum.

Id vbique amnion attingit, illi ſemper annexum, niſi quo ſpacio anguſto quidem, ſed longo annexa eſt amnio

allantoïdes, media inter choriũ & amnion, & parte externa chorio, interna amnio alligata per tunicā tenuem, ſed fortem, quæ amnion vbique ambibat, tanquam altera eſſet chorij tunica.

Allantoïdes, ad cornua amnion non tangit, ſed chorio annexum vbique adhæret, non tamen toti, quia chorij cornua non attingit, ſed allantoïdis. Separabis autem inflādo primum chorion, deinde pertuſa allantoïde in fine cornuũ vrinam, ſero lactis ſimilem, emittes: poſtea eodē foramine ablato chorio allantoïdem inflabis, vt eius ſitum, figuram, connexum, magnitudinem obſerues.

Allantoïdis cornu ab vracho eſt maius & longius, quod in cornu vteri à fœtu occupatius fertur.

Allantoïdes in vitulo menſis vnius albicat, & vrinam ſero lactis recenti nō colato ſimilem continet, non ita multam tamen vt chopinam: amnios verò tres pintas aquæ vrinam colore & conſiſtentia referentis (nam ſudoris & vrinæ eadem eſt ſubſtantia: ſed ſudor ob longiorem in corpore moram eſt coctior) continebat.

Aperi allantoïdē in fine cornu alteru-

trius vel vtriuſque, & lotium emitte, deinde infla, ſed clementer, ne rumpas, præſertim dum adhuc hæret amnio & chorio, quia minus tunc eſt capax, quàm ab vtroque auulſa: pòſt liga, deinde ſudorem & fœtũ, rupto alicubi amnio, emitte, & infla, & liga.

Allantoïdes lateri tãtùm dextro amnij adhæret: cornu habet longius in ſinu minùs occupato à vitulo, alterum breuius.

Chorij tunica interior eſt multò tenuior, vaſa alteri cõnectens. Tunica allantoïdis exterior eſt tenuior interna, & ferè abrumpitur dum à chorio ſeparatur & ab amnio, qua parte illi adhæret.

Vrachus, quà vaſis aliis ambitur, capacior: vt allantoïdes in cornibus, quà amnio incumbit, tendens ad allantoïdem latitudine profunditatem penſat impeditam amnio & chorio, vti & allantoïdes quà inter amnion & chorion intercluditur. Si magna autem eſſet plenitudo, abſolutam rotunditatem acciperet: vt exempta ſi infletur: ſed tunc amnion & chorion premit. Quo fit, vt dum allantoïdes adhuc inter has clau-

ſa inflatur chorion rũpat potiùs, quàm amnion tunicam humoris copia renitentem.

VTerus vaccæ prægnantis à menſe, tunicam habuit, ex duabus dimidiis in medio coagmentatam, cotyledones autem circiter octoginta, ſpongiolis ſimiles etiam in cornibus frequentes, quas ambiunt totidem aſperitates in chorio æquales, ſed parum eminentes, & rubentes fœdis impetiginibus & vlceratis ſimiles: cùm cotyledones albicent, ambo magnitudine extremi digiti aut pollicis.

In vacca autem partui propinqua magnitudo cotyledonum mediocres ſpongias, colore, forma, cauernulis imitabatur. In chorio autem partes cotyledonibus circumplexæ ficui maturę digitis laceratę in rotundum ſimiles erant.

Chorion, partibus inter ſuas eminẽtias impetiginoſas mediis, in parturiẽte vacca paſſim rubeſcebat, in noua prægnante colorem natiuum candidũ ſeruabat nuſquam tamen hærebat vtero.

Cornua ſunt ampla ad latera vteri

plena cotyledonibus, quæ etiam allantoïdes ſub chωrio implet.

Allantoïdes in parturiente fuit longa duas vlnas ab vracho vtrinque caua ad quartæ noſtratis capacitatem: ſed in cornibus gracileſcebat, & multis plexibus ſibi per tenues membranas vnitis totum fœtum ambibat, tanquam continua eſſet, præterquàm ad os vteri, vbi chωrion amnio fœtum totum ambienti vniebatur.

In collo vteri erant anfractus ſubſtātia cartilaginoſa circunſcripti. Os vteri habebat ſimile muliebri, ſed ab ore collum alterum breuius, ſed æquè amplum, cui ſuccedebant anguſtiæ palmum aut ſpithamen longæ, materia multa craſſa adipi ſimili obſtructę. Tunica vteri altiùs in vteri capacitatem, à fundo ad vicina ori loca, emicabat ibi duplata.

In vacca iamdiu enixa vterus eſt ſimilis ouillo, ſed maior. Vterque enim propè totus iam inde ab ore vteri in cornua ceu capri pręlonga, & reciproca degenerat, circunſcriptionem ſupernè habentia manifeſtam à canaliculo quodam, quale inter nates peri-

nęum. Intus autem diſtinguuntur vbique cornua hęc duplata vteri propria tunica, quę in parturientibus abrupta videtur. Cotyledonas vbique habet tritico craſſiore macerato ſimiles.

IN SVE.

VTerus Suis non pręgnantis longior quàm ouis, cornua habet longiſſima, vtrinque meandris inuoluta modo inteſtini cωli., & in anfractus hos vaſa ſimiliter diſtributa.

Carnoſa eſt interna tunica, & molli & concidente, adeo vt vix cauitatem deprehendas eius & cornuum, niſi digitum, vel quid tale immittas.

Teſtes habet ad mucronem cornuū ceu granis 6.7.8. racematim cohęrentes. Cotyledones nullę apparent nec in vtero, nec cornibus. Os vteri anfractus habet vt vaccinus vterus, ſed minus duros.

In Sue iam pręgnante, chωrion vnicuique porcello toti ſuum, & amnios toti ſua, & allantoïdes lateri ſua: ita tamen iunguntur, vt vnaquęque tunica

videatur omnium communis&vnica: ſed tamen omnes ſunt diſcretæ. Nam inflata amnio ſimul cũ chorio ſibi connexo vbiq;,flatus ad ſequentis porcelli amniõ non peruadit: nec ſudor amnio compreſſo,nec vrina cõpreſſo allantoïde,qui velut nodo quodã alligatur extremo amnio.

Cotyledones non magis in ſue apparent,quàm muliere, niſi dum hæc cum amnio inflatur: tunc enim aſperitates manifeſtas cernis, quales ſunt pori in refrigeratis, & deplumatis anſeribus, quibus chorion vtero leuiter cohæret.

Secui ſuem cuius vtero chorion nuſquam hęrebat,ſed in chorio apparebãt infinitæ cotyledones in ſingulis fœtib⁹ ſimiles granis ſalis. Habuit autem peritoneïdem duplicem,& in cornu altero duos tãtùm fœtus:in altero quatuor:& primi ambo erãt fœminæ,ſecundi ambo mares, deinde fœmina, poſtremo mas.

VTerus iumenti vaccino ſimilis forma,ſed intus cotiledones non habuit, nec harum veſtigia, cornua habuit ſimilia,ſed in fundo ventriculi nõ

diſcreta

diſcreta foris canaliculo, intus membrana. Os vteri habuit rugoſum tantùm in longum, non grumis inæquale.

ANATOME CANIS *in aqua ſuffocatæ.*

EPidermis, ipſa cutis vera, adeps, membrana carnoſa, muſculi octo epigaſtrii, peritonęum, epiploon, inteſtina, meſaræum, vena porta, hepar, vena caua, diaphragma, cor, pericardium, pulmones, trachea arteria tota cum ſuis muſculis, œſophagus, ventriculus, folliculus fellis, renes, & in eos à vena caua rami venoſi, & ab arteria venæ ſubdita arterioſi, & ab eis vreteres in veſicam obliquè interreptantes, veſicæ & vteri collum in exitu, & pudendo commune, inteſtinũ rectum, forma, numero, magnitudine, ſitu, ſubſtantia, actione & vſu parum ab humanis differũt: & quid interſit paucis accipe. Muſculi epigaſtrii (quos rectos appellant) in cane villos habent à capite ad finẽ continuos, in homine autẽ velut aponeuroſi gemina in tres partes prope-

modum æquales diuiſos. Inteſtinum cæcum in hoc capaciſſimũ, in alio anguſtius, ſed in omnibus obliquum, velut aſſuitur fini tenuium & principio craſſorum.

Cωlon in cane nullum eſt (à cωlon enim, id eſt attubus, quòd cætera inteſtina magnitudine ſuperet, dicitur) ſed rectũ ſtatim excipit cęcum, initio præanguſtum (vnde canibus illa egerendi difficultas) & nonnihil adhuc obliquum, quoad ſpinæ lumbi, & oſſi ſacro attenſum omnino rectum efficitur. A cæco autem vſque ad anum longitudo eſt ſpithamæ, vix maior.

Matrix in cane, vt in muliere, inter rectum inteſtinum, & veſicã cubat media. Sed quia canum veſica eſt exigua (vnde frequens eis reddendæ vrinæ neceſſitas, & ob ardentem quandam, & pungentem à bile acrimoniam) illius fundũ altiùs collo matricis nõ attollitur. A collo bifida hæc dextrorſum & ſiniſtrorſum ſurſum fortur ad renes vſque: in extremo ſunt teſtes. Mulieri verò vterus phialę vitreæ forma perſimilis fundo introrſum inuerſo in duos ſinus diductus: ad huius orificium

cornua ſunt prælonga, & in horum ferè principio teſtes. A renibus vreteris tranſitum in veſicam: fiſtula quadam ſtramentitia per foramē in renis cauitate mediū, exploramus, nunc flatu ſolo, nunc aqùa ſucco quodam idoneo, vt mororum tincta, ita deſcendētes, vt apertiſſimè appareat ingreſſus: id ſimiliter tentandum in omnibus cauis corporibus.

In cauitate renum circuncirca videas colatoria, quaſi valuulas quaſdam à vena emulgente, numeroſa ſobole per renum ſubſtantiam diſperſa, effectas.

Folliculo fellis ſurſum rupto, & bile expreſſa, inflauim⁹: apparuitque flatui exitus ſolus in duodenū, duobus digitis poſt ecphyſiń, ſed ſine membrana foramini appreſſa. Ab eadem veſicula meatus in ſimam hepatis, exoriens ſimplex, mox ramoſus in lobos ſparſus.

Cordis dextrum ventriculum per venam cauam, & arteriam aortam per ſiniſtrum ventriculū inflauimus, ex illo flatu continuitatem venæ, ex hoc motum cordis & arteriarum deprehenſuri. Vena caua in ipſo dextro cordis vētriculo ramum in pulmones mittit ve-

nam arterioſam, exortu ſimplicem, ſed mox totuplicẽ, quot ſunt lobi in quos ſobole numeroſa diſtribuitur. Digito ſupra cor ramum emittit prægrandem in dextram partem ſpinæ, à quo vtrinque ramuli in muſculos intercoſtales ſecundum ipſas coſtas emittuntur, ſimul cum arteriis à ſiniſtra ſpinæ parte dimiſſis. Paulo ſupra ad claues bifida fertur in anteriora, & quadantenus perlata ramos emittit inſignes ad caput per partem colli lateralem, & ſuperficiariam.

IN Equo arteria ſuperior eſt, ac multò ante renẽ in ramos inſignes per partem renis ſuperiorem tẽdentes diuiditur, ſimulque ramũ maximum demittit, in partem renis inferiorẽ cùm propè renis ſubſtantiam proceſſerit diuidendum, qui tandem ſibi occurrunt. Inter hos ſuperiores, & inferiores arteriç ramos, vena renalis ſolida pergit in renẽ penitiùs, priuſquam arteriæ modo diuidatur in ramos ſcilicet ſuperiores ac inferiores, ramis arteriæ tamen ſemper interiores. In medio vreter breuibus ramis, ſed æquè multis diuiſus.

IN CERVO.

CEruitibia noſtræ ſimilis, & ſub ea aſtragalus,&ſub aſtragalo os calcis, à quo ad tibiam vtrinque oſſicula duo aſtragalum conſtringunt.

Os ſacrum longum, anguſtum,vno oſſe & principio ſecundi os ilium tãgit.

Foramina intro & foras, vt in homine habet in duobus primis ſpõdylis: in tertio tantũ antè,ſed per latus etiã exeunt:in quarto&quinto foramen anticę & poſticę parti ob oſſis tenuitatẽ commune: in ſexto ceſſat medulla.

Spõdyli in lumbis ſex, apophyſes horum tranſuerſæ etiam oſſi ſacro proximę,longè & ſurſum ſpectantes,poſticę omnes deorſum.

In metaphreno tredecim ſpondyli, quot & coſtę: ſpondylus ſpina ſcilicet duodocimus eſt ἀρρεπὴς& decimus tertius,& primus lumborũ. Coſtæ in medio inter ſpondylos omnes articulantur.

In collo,ſpondyli ſeptem prælongi, infimus breuiſſimus,dens breuis in ſecũ-

do, ſed amplus & ad medullam cauatus.

Septimus colli ſpondylus non eſt in laterib' pertuſus. 6.5.4.3. ampla in lateribus corporum non apophyſibus habent foramina ad ceruicalia vaſa: ſextus in quo dens tãtum ſupernè in ſuo corpore exiguũ, ſeptimũ, capiti proximum ſupernè minimum, quod in foramen medullæ incidit.

In oſſe pternam, & aſtragalum ſimul excipiente, ſecundum longitudinẽ totã cauitas eſt, quæ per foramen ampliũ in canalem mediũ duarum pedis trochlearum incidit.

Spondyli thoracis, & lumborum parte antica acuminati, non vt in homine rotundi.

Ligamẽtum habet in iſchii latere ad foramen pubis, quale homines.

Venas, arterias, neruos hic non perſequor, quòd cum iis, quę antè memorata ſunt, ferè conueniant.

IN LEONE.

A Cranio leonis in muſculos tẽporis foramina quinque neruis in crota-

phitas viam dant.

Os maſtoïdes magnitudine & forma, oui cauitate intus manifeſta cum aurium cauitate continua.

Os occipitis apophyſes habuit duas ſimiles noſtris, quæ cum primo ſpōdylo articulantur.

Os occipitis craſſiſſimū & latiſſimū, vt locum det muſculis caput tendentibus.

IN TROCTA.

TRocta maculis rubris paſſim variegata, ordines dentiū habet ſex: primum labris connatum, alios quinque à labro in pharyngen abſcedentes: in quo tamen ſunt dentes in contrarium hamati, & qui cibum ex vētriculo regeri prohibeant.

Bronchias vtrinque quatuor dentibus hamatis, & aſperis & duris contumaces habet: ventriculum magnum limacibus quibuſdam fluuiatilibus, & coloris herbacei plenū, quos aquę fūdū producit, ſquama admodū tenui & herbacea. Inteſtina habet in multas ecphy-

IACOBI SYLVII MEDICI epitaphium, per I. Væuræum, Hed.

Syluius Hippocratis vindex ille, ille Galeni,
Imo artis vindex medicæ, medicúſque, docenti
Cui rerum fuit & verborum copia, qualem
Vix reliquo quiſquam medicorum ex ordine iactet:
Quem certa methodo medicis ac rebus agentem
Aſsiduè in ludo totius principe terræ
Mille acri aſsiduè ſpectabant lumina viſu:
Quo dum augeretur doctorum Regius ordo,
Vix dicas laudis plus Rex, an Syluius ipſe
Carpſerit ex ſylua totum exoriente per orbem,
Ex ſylua medica: qualis non extitit ante:
Denique qui duro atque agreſti robore natus
Creuit, & ante alios excultus floruit omnes,
Atque idem nulla vitæ defloruit hora,
Et nihilo ſecius fructum tulit omnibus horis:
Ille, inquã, ille nouus medicorũ hîc dormit Homerus.

DE EODEM, E GRÆCO Theoſebiæ.

Ars medica haud dubiè tria funera vidit acerba:
Hippocratis primùm planxit nece deinde Galeni,
Nunc in eo tumulo gemebunda, vbi Syluius, hæret,
Ac pudor eſt cerni, & tanto ſupereſſe magiſtro.

ÆGIDIVS GORBINVS
Candidatis Medicinæ S.

IAc. Syluij, cum multa extant præclara monumenta, quæ virum doctrina incomparabilem conuincunt, tum verò hic de re Anat. libellus, eo certe vtilior, quò ſub breuitatis ſpecie ac imagine amplior opumque ditior eſt. Tātæ eſt molis, vt inſtar omniū vnus videri queat, etiam Recentiorum indicio, omnium hodie in ſua opera, ex hoc fere omnia transfundentium: Cætera enim quæ à quibuſdā κέγχρον *quod eſt in prouerbio* τρυπῶσιν, *poſt hunc allata ſunt: aut tam pauca ſunt, aut tā parui & fortaſſe nihili, (ſi artis opera ſpectes) vt ea ab authore, iure nemo requirat ſeueriore trutina, Iſagogicum ceu aphoriſticum opus* ἰντήριον μακροτεχνολογίας *inſtituente. Igitur vnū modo erat* (φιλίατροι) *de quo dudum multæ veſtrum omnium querelæ: Expoſitionis ſcilicet rerū alicubi luxatus ordo, indeque doctrina interdum obſcurior, & res etiam confuſior, præſertim in dictione tam multa paucißimis complectente, vt frequēter in lectoris animo relinquat aculeos, indiligētem verò aliudque cogitantem fallat ac prætereat. Atque hoc equidem, vt authori proprium & ferè in hoc doctrinæ genere fuit ne-*

ceſſarium: ſic illud ei magis quam morti præpropere nemo iuſtè tribuat. Nec enim dubium, quin cæteros ingenij eiuſdem partus hic æquaſſet ſi fata dediſſent vt hic pariter in ſinu parentis adoleſſet. Itaque eam ob rem dum veſtrum ſingulis, totique Reipublicæ rem edere vtilem meditor, id quod in veſtrum omnium votis eſſe video, ipſum iam nunc ſum adnixus, vt ſcilicet typis noſtris terſior quã antea libellus prodiret, & ei, ſicubi res minus bene quadrarent, ea parte ſuppetias iretur: denique etiã nonnullis (quanquam non adeo multis, quibus ſubſecuta ætas memoriam ſui, venturis nepotibus conſecrauit) auctior & locupletior. Salua nihilòminus ſemper Authoris dignitate, nec permiſſo quidem ab eius litera, latum quod aiunt vnguem, receſſu: vt qui priores editiones nouerit, eaſdem hic facile agnoſcat: ne vlla ex parte quis alium ab eo qui prius erat, factum putet. Regalis illa eſt illuſtrandæ Medicinæ via, paſſim commendata Galeno, in qua ſi iacta alea recte ceſſit, dum meliora dabuntur, fruimini & manibus ipſius Syluij bene ſemper precamini. Valete.

BIBLIOTECA ... ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Excudebat Petrus Hury.
M.D. LXXXVII.